






SIGILLUM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV·ANG·
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS



DE ANTIOCHO ASCALONITA

DISSERTATIO PHILOLOGA AD RITE OBTINENDOS SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES SCRIPTA AMPLISSIMO IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA PHILOSOPHORVM ORDINI TRADITA QVAM VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS DEFENDET DIE IIII M. AVGVSTI A. CIƆIƆCCCLXXXIII HORA XI

RVDOLFVS HOYER
OLDENBVRGENSIS

ADVERSARII ERVNT
CAROLVS SCHERER
FRANCISCVS WINTER
ERNESTVS PRAETORIVS

BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGI VNIVERS. TYPOGR.
CIƆIƆCCCLXXXIII

PATRI CARISSIMO

ET PRAECEPTORIBVS

FRANCISCO BVECHELER
HERMANNO VSENER

P. C.

In quinto libro Ciceronis de finibus bonorum et malorum, quem conscripsit auctore Antiocho usus [cf. § 8. 14. 16. 75. 81.], legimus c. VI § 16, ubi de summo bono quaestio fit: 'Quod quoniam in quo sit magna dissensio est, Carneadia nobis adhibenda divisio est, qua noster Antiochus libenter uti solet. Ille igitur vidit, non modo quot fuissent adhuc philosophorum de summo bono, sed quot omnino esse possent sententiae'. Qualis fuerit haec Carneadis divisio, explicat deinceps Tullius dum disserit de eo, quod a natura in primo ortu appetatur atque animi appetitum ipsum per se invitet et alliciat: § 18. '*Voluptatis* alii primum appetitum putant et primam depulsionem doloris; *vacuitatem doloris*[1] alii censent primum ascitam et primum declinatum dolorem; ab iis alii, quae *prima secundum naturam* nominant, proficiscuntur, in quibus numerant incolumitatem conservationemque omnium partium, valetudinem, sensus integros, doloris vacuitatem, vires, pulchritudinem, cetera generis eiusdem, quorum similia sunt prima in animis, quasi virtutum igniculi et semina. Ex his tribus, cum unum aliquid sit, quo primum natura moveatur vel ad appetendum vel ad repellendum, nec quicquam omnino praeter haec tria possit esse, necesse est omnino officium aut fugiendi aut sequendi ad eorum aliquid referri, ut illa prudentia, quam artem vitae esse diximus, in earum trium rerum aliqua versetur, a qua totius vitae ducat exordium. 19. Ex eo autem, quod statuerit esse, quo primum natura moveatur, existet recti etiam ratio atque honesti,

[1] Inepte Cicero vertit ἀοχλησίαν, nam haec vox ab Antiocho adhibita est, nisi omnino neglexit ipsorum philosophorum definitiones [τὸ ἀοχλήτως ζῆν cf. Clem. Alex. Strom. II 21, 127.] Rectius Seneca epist. 92,6 ἀοχλησίαν vocat quietem, ubi ad eandem hanc divisionem respicit. — Cf. Stob. Ecl. II p. 60 H. 47,19 W. Augustin. de civ. dei XIX 1 [vide p. 42].

quae cum aliquo uno ex tribus illis congruere possit, ut[1] id honestum sit, facere omnia aut voluptatis causa, etiamsi eam non consequare, aut non dolendi, etiamsi id assequi nequeas, aut eorum, quae secundum naturam sunt, adipiscendi, etiamsi nihil consequare. Ita fit, ut, quanta differentia est in principiis naturalibus, tanta sit in finibus bonorum malorumque dissimilitudo. Alii rursum iisdem a principiis omne officium referent aut ad voluptatem aut ad non dolendum aut ad prima illa secundum naturam obtinenda. 20. Expositis iam igitur sex de summo bono sententiis, trium proximarum hi principes: voluptatis *Aristippus*, non dolendi *Hieronymus*, fruendi rebus iis, quas primas secundum naturam esse diximus, *Carneades* non ille quidem auctor sed defensor disserendi causa fuit. Superiores tres erant, quae esse possent; quarum est una sola defensa eaque vehementer. Nam voluptatis causa facere omnia, cum, etiamsi nihil consequamur, tamen ipsum illud consilium ita faciendi per se expetendum et honestum et solum bonum sit, nemo dixit. Ne vitationem quidem doloris ipsam per se quisquam in rebus expetendis putavit, nisi etiam evitare posset. At vero facere omnia, ut adipiscamur, quae secundum naturam sunt, etiamsi ea non assequamur, id esse et honestum et solum per se expetendum et solum bonum *Stoici* dicunt.

21. Sex igitur hae sunt simplices de summa bonorum malorumque sententiae, duae sine patrono, quattuor defensae. Iunctae autem et duplices expositiones summi boni tres omnino fuerunt, nec vero plures, si penitus rerum naturam videas, esse potuerunt. Nam aut voluptas adiungi potest ad honestatem, ut *Calliphonti Dinomacho*que placuit, aut doloris vacuitas, ut *Diodoro*, aut prima naturae, ut *antiquis*[2], quos eosdem *Aca-*

---

[1] Codd. 'ut aut id.' — Hoc loco 'aut' omittendum esse puto, cum post 'ut' facile irrepere potuerit. Madvig et Baiterus deleverunt 'aut' ante 'voluptatis causa'.

[2] Non neglegendus est huius verbi usus, ut iam Hirzel, Untersuchungen II p. 421 n. et 834, 1 adnotavit. Nam ut saepe Antiochus Platonem, Aristotelem, eorum discipulos uno verbo antiquos (ἀρχαίους) appellasse videtur, ita non mirari nos oportet, si in eorum, qui Antiochum secuti sunt, scriptis eundem vocis usum invenimus. cf. Cic. de fin. I 6. IV 8. 9. 19. 20. 21. 24. 62. 63. V 14. 21. 23. 73. Acad. I 22. 39. 43. Tusc. I 38. III 40. V 30. 34. de deor. nat. I 79. de off. II 5. 8. de leg.

demicos et *Peripateticos* nominamus. Sed quoniam non possunt omnia simul dici, haec in praesentia nota esse debebunt, voluptatem semovendam esse, quando ad maiora quaedam, ut iam apparebit, nati sumus[1]. De vacuitate doloris eadem fere dici solent, quae de voluptate. 22. Nec vero alia sunt quaerenda contra Carneadiam illam sententiam; quocumque enim modo summum bonum sic exponitur, ut id vacet honestate, nec officia nec virtutes in ea ratione nec amicitiae constare possunt. Coniunctio autem cum honestate vel voluptatis vel non dolendi id ipsum honestum, quod amplecti vult, id efficit turpe. Ad eas enim res referre, quae agas, quarum una, si quis malo careat, in summo eum bono dicat esse, altera versetur in levissima parte naturae, obscurantis est omnem splendorem honestatis, ne dicam inquinantis. Restant Stoici, qui, cum a Peripateticis et Academicis omnia transtulissent, nominibus aliis easdem res secuti sunt. Hos contra singulos dici est melius; sed nunc, quod agimus; de illis, cum volemus. 23. *Democriti* autem securitas, quae est animi tamquam tranquillitas, quam appellant εὐθυμίαν, eo separanda fuit ab hac disputatione, quia ista animi tranquillitas ea est ipsa beata vita; quaerimus autem, non quae sit, sed unde sit. Iam explosae eiectaeque sententiae *Pyrrhonis*, *Aristonis*, *Erilli*, quod in hunc orbem, quem circumscripsimus, incidere non possunt, adhibendae omnino non fuerunt. Nam cum omnis haec quaestio de finibus et quasi de extremis bonorum et malorum ab eo proficiscatur, quod diximus naturae esse aptum et accommodatum, quodque ipsum per se primum appetatur, hoc totum et ii tollunt, qui in rebus iis, in quibus nihil aut honestum aut turpe sit, negant esse ullam causam, cur aliud alii anteponatur, nec inter eas res quidquam

---

I 54. 55. Hortens. fragm. 93 [= Augustin. de trinit. l. XIV c. 19]. Orator 218. ad Attic. XII 12, 2. — Senecae l. c. p. 45. — Arium Didymum quoque hoc verbo usum esse eundem atque Antiochum consilium prae se ferentem videmus Stob. Ecl. I 13 p. 332 H. [p. 472 Diels Doxogr.] II p. 62 H. 48, 4 W. 274 H. 129, 4 W. 278 H. 131, 2 W. — Praeterea cf. Diels Dox. p. 185 et 395, 22 (οἱ ἀπ' ἀρχαίων).

[1] Cf. de fin. II 113: 'ad altiora quaedam et magnificentiora, mihi crede, Torquate, nati sumus'; et de fin. I 7, 23. de off. I 29, 103. — De semovenda voluptate cf. Hirzel II p. 93. 442. 641. 713. — Cic. fin. II 27. V 45. 50. de leg. I 31. 47. de off. I 105. III 24. alios locos,

omnino putant interesse, et Erillus, si ita sensit, nihil esse bonum praeter scientiam, omnem consilii capiendi causam inventionemque officii sustulit. Sic exclusis sententiis reliquorum, cum praeterea nulla esse possit, haec antiquorum valeat necesse est. Igitur instituto veterum, quo etiam Stoici utuntur, hinc capiamus exordium'.

Huius divisionis de ratione quae dici possunt [cf. Madvig Exc. IV p. 822 ed. 3], quamquam hoc loco praetermittenda sunt, ut videamus, quae vestigia illius in scriptis philosophorum detegi possint, tamen necesse est dicere me non consentire cum Madvigio, quem iniuste vituperare puto p. 828 Carneadem. Nam ἡ ἀοχλησία minime est negativa voluptas. Tum haud ita inepte 'affectionem hominis id quod appetivit adepti comparavit cum primis naturae, id est ipsis rebus quae appetuntur'. Distinguuntur definitiones summi boni. Hoc autem ipsius causa appetitur (δι' αὑτὸ αἱρετόν). Ut igitur voluptas et quies ita prima naturae [cf. Stob. II 60 H. 47, 20 W. et 242 H. 116 W. sq.] ipsa proposita sunt, ut Cicero fin. V saepe iteravit, omnia esse propter se ipsa appetenda; — nam in omnibus rebus continetur et omnes res continet summum bonum.

Sed transeamus ad illam divisionem, quam ut facilius in memoria teneas, hac tabula conprehensam propono:

			I. voluptas.	II. vacuitas doloris (ἀοχλησία)	III. prima naturae.
A. sententiae simplices:	a.	facere omnia ut adipiscamur.	Aristippus.	Hieronymus.	Carneades (disserendi causa).
	b.	facere omnia etiamsi non adipiscamur.	—	—	Stoici.
B. iunctae et duplices:			adiuncta honestate.		
			Callipho. Dinomachus.	Diodorus.	antiqui.

Praeterea memorantur extra divisionem Democritus, Pyrrho, Aristo, Erillus. — Stoicae sententiae tractatio differtur § 22. — Atque omnium horum philosophorum comparatio, inprimis eorum,

quorum mentio non ita saepe fit ut Dinomachi, Calliphontis, Diodori, Hieronymi, certum nobis praebet indicium, ut eiusdem auctoris vestigia agnoscamus, ubi similiter sententiae horum philosophorum inter se conferuntur vel enumerantur.

Itaque nemo dubitabit, quin eiusdem libri § 73 catalogus philosophorum ab Antiocho ita compositus sit. Recensentur Aristoteles, Theophrastus, Erillus, Aristo, Hieronymus, Callipho, Diodorus eodemque modo eorum definitiones summi boni secernuntur atque § 16 sq. — Adiciuntur § 74 voluptarii, id est Epicurei [1], et Stoici, qua de causa nostro iure concludere possumus, etiam § 22 sqq. in libris Antiochi Epicureos commemoratos fuisse, cum praesertim hic voluptatem omnino semovendam esse censeat. Cicero igitur silentio eos praeterisse videtur [cf. Hirzel II p. 638]. Et invenimus refutationem Epicureae disciplinae a Cicerone secundum Antiochum [cf. Hirzel II p. 630 sq.] expositam de fin. II, ubi § 31 sq. eadem divisio sententiarum occurrit. § 35: 'Ita tres sunt fines expertes honestatis, unus Aristippi vel Epicuri, alter Hieronymi, Carneadi tertius; tres, in quibus honestas cum aliqua accessione, Polemonis, Calliphontis, Diodori; una simplex, cuius Zeno auctor, posita in decore tota, id est in honestate; nam Pyrrho, Aristo, Erillus iam diu abiecti'. Deinceps Epicuri inconstantia vituperatur, qui aliud in prima naturae commendatione aliud finem bonorum dixerit [2], tum aliorum sententiae refutantur, § 44 denique incipitur tractatio et impugnatio Epicuri, quam Cicero ita instituit, ut explicet quid sit honestum. § 19 quoque eiusdem libri, cum de summo bono quaestionem faceret, a Cicerone tabula illa adhibita est. Enumerantur Aristoteles, Callipho, Diodorus, qui iuncta ultima bonorum fecerint et comparatur Epicuri definitio cum Aristippi et Hieronymi sententia.

In quarto de fin. libro ad eundem Antiochum auctorem referendo [cf. Hirzel II p. 620] agnoscimus hanc divisionem: § 49 Stoicis, Pyrrhoni, Aristoni opponuntur Aristoteles, Xenocrates, eorum familia, § 50 Callipho, Diodorus, tum § 49 Epi-

---

[1] Posteriorum Epicureorum rationem tangi docuit me Vsener. Cf. adn. ad Epic. p. 275, 25.

[2] Quare Varro eum ab Aristippo secrevit. Vide p. 42. Cum hoc de fin. loco cf. Tusc. III § 47 et Clem. l. c. p. 27.

curus, Hieronymus, illi etiam 'si qui Carneadeum finem tueri volunt'. Sed consideremus quae § 36 sq. dicuntur. 'Cum enim constet inter omnes, omne officium munusque sapientiae in hominis cultu esse occupatum, *alii* — ne me existimes contra Stoicos solum dicere — eas sententias afferunt, ut summum bonum in eo genere ponant, quod sit extra nostram potestatem, tamquam de inanimo aliquo loquantur, *alii* contra, quasi corpus nullum sit hominis, ita praeter animum nihil curant, cum praesertim ipse quoque animus non inane nescio quid sit — neque enim id possum intellegere — sed in quodam genere corporis, ut ne is quidem virtute una contentus sit, sed appetat vacuitatem doloris[1]. Quam ob rem utrique idem faciunt, ut si laevam partem neglegerent, dexteram tuerentur, aut ipsius animi, ut fecit Erillus, cognitionem amplexarentur, actionem relinquerent. Eorum enim omnium, multa praetermittentium, dum eligant aliquid, quod sequantur, quasi curta sententia; at vero illa perfecta atque plena eorum, qui cum de hominis summo bono quaererent, nullam in eo neque animi neque corporis partem vacuam tutela reliquerunt'. — Qui sunt, contra quos haec dicuntur? Madvigio Stoici esse videntur, cum adnotaverit p. 535 'adversus Stoicum Stoicorum sententia utens', sed Stoicos non esse apertis verbis dixit Tullius. Neque Pyrrho, Aristo, Erillus esse possunt, cum horum sententiae deinde a § 40 impugnentur, et ipse Erillus cum illis non nominatis philosophis comparetur. Frustraque tabulae illi adaptare conaberis. — Sed meminerimus Carneadem vidisse, non modo quot omnino esse possent sententiae, sed etiam quot fuissent adhuc de summo bono [cf. de fin. V 16]! Ipse Tullius dicat, quorum nomina hoc loco omiserit: 'Megaricorum fuit nobilis disciplina, cuius, ut scriptum video, princeps Xenophanes, quem modo nominavi; deinde eum secuti Parmenides et Zeno, itaque ab iis Eleatici philosophi nominabantur. Post Euclides, Socratis discipulus, Megareus, a quo idem illi Megarici dicti, qui id bonum solum esse dicebant, quod esset unum et simile et idem semper. Hi quoque multa a Platone. A Menedemo autem, quod is Eretria fuit, Eretriaci appellati, quorum omne bonum in mente positum et mentis acie, qua verum cerneretur: Erilli similia [cf. de fin. IV 36 'ut

[1] Id est ἀοχλησίαν, cf. p. 1 n. 1.

fecit Erillus'!] sed, opinor, explicata uberius et ornatius. Hos si contemninus et iam abiectos putamus, etc. [Cic. Acad. II § 129]. — Et si evolveris Academica Ciceronis, ibidem invenies praeter eos, quos attuli, Erillum, Aristonem, Pyrrhonem, Aristippum, Epicurum, Calliphontem, Hieronymum, Diodorum, Polemonem, Aristotelem, Carneadem, Zenonem. Horum nominum in ordine facile intellegemus tres classes tabulae praepositae neque quis negare potest ad historiae rationem quodammodo hunc indicem compositum esse. Discedit enim in duo genera, quorum in altero eae sententiae tractantur, quae omnino romovendae sint, in altero eae, quae esse possunt quaeque tabula comprehensae sunt[1]. In priore parte ei sunt, qui ante Platonem fuerunt et qui ab illo discrepabant, tabula continentur sententiae eae, quae ex Platonis disciplina ortae sint. Atque si consideramus seriem philosophorum, qui Platonem antecedunt, distinguemus — ut Scepticos omittam — duas sectas, quarum definitiones summi boni adferuntur et comparantur cum Platone. Hae sectae sunt Eretriaci et Megarici, qui cum Eleaticis ita iunguntur, ut ipse Xenophanes princeps Megaricorum appelletur. Quo iure auctor Graecus ita fecerit, videbimus, si cum Stallbaumio [ad Plat. Parmen. p. 62] ad Megaricos[2] retulerimus illud Aristot. Metaph. N. 4 'τῶν δὲ τὰς ἀκινήτους οὐσίας εἶναι λεγόντων οἱ μέν φασιν αὐτὸ τὸ ἕν τὸ ἀγαθὸν αὐτὸ εἶναι· οὐσίαν μέντοι τὸ ἕν αὐτοῦ ᾤοντο εἶναι μάλιστα'.

Atque eaedem duae disciplinae secernuntur de fin. IV 36. Illi uni, quod extra nostram potestatem et tamquam inanimum aliquid sit, opponitur illud bonum Eretriacorum, quod insit in sola mentis acie et quiete. Animum enim, cui essentiam quandam tribuisse videntur, volebant Eretriaci nòn solum acutum sed etiam liberum a perturbationibus esse, quod Cicero ita expressit: 'ut ne is quidem virtute una contentus sit, sed appetat vacuitatem doloris' [id est ἀοχλησίαν][3]. — Nunc intellegi potest, quae vis tribuenda sit verbis § 36 'Nunc de *hominis* sum-

---

[1] Tullius ipse hanc divisionem in duo genera indicat verbis Acad. II § 130: 'Has igitur tot sententias ut omittamus, haec [nunc] videamus, quae diu multumque defensa sunt'.

[2] Cf. Ritter-Preller, hist. phil. 231 [3 ed.]. Zeller II 1, p. 221 [3 ed.].

[3] Hoc quoque loco false vertit Tullius verbum Graecum, quod omnino non intellexisse videtur, vide p. 1 n. 1.

mo bono quaeritur' et 'cum enim constet inter omnes omne officium munusque sapientiae in *hominis* cultu esse occupatum' et 'qui cum de *hominis* s. b. quaererent'; nam aliis locis cum de bono quaeratur, simpliciter dicere solet Cicero summum bonum; 'hominis bonum' non dicit, nisi vim quandam verbis tribuit.

Ceterum iam Krische, Götting. Studien 1845 p. 195 intellexit catalogum Acad. II 129 compositum esse a philosopho Graeco, qui illas disciplinas cum Platonica comparare studeret. Nos quoniam vidimus, eundem fuisse in libris Antiochi, quos Cicero in libris de fin. expilavit, et illam Antiochi rationem in Academicis quoque agnoscimus, non dubitamus, quin ut in libris de fin. ita in Academ. II § 129 sq. Cicero secutus sit Antiochum[1], qui omnium illorum philosophorum sententias cum Pla-

---

[1] Quod si concedis, etiam plura concedenda sunt. Nam hic locus ita cohaeret cum iis, quae a § 112—146 Acad. explicata sunt, ut distrahi omnino non possit. Et videbis in eis inesse rudera magni cuiusdam operis. Cicero Antiochum impugnat § 114: 'Tu cum me incognito adsentiri vetes idque turpissimum esse dicas et plenissimum temeritatis, tantum tibi adroges, ut exponas *disciplinam sapientiae*, *naturam rerum* omnium evolvas, *mores* fingas, fines bonorum malorumque constituas, officia describas, quam vitam ingrediar definias [cf. Senec. epist. 89, 10 'quidam et de generibus vitae locum separaverunt' et ep. 94], 'idemque etiam *disputandi* et *intellegendi* iudicium dicas te et artificium traditurum, perficies ut ego ista innumerabilia conplectens nusquam labar, nihil opiner?' His verbis apertissime dicit Tullius, quae et quanta ab Antiocho doceantur, iisdem verbis dispositionem dedit et eorum, quae sequuntur et *magni cuiusdam operis ab Antiocho confecti*. — Paucis liceat illustrare, qualis fuisse mihi videatur haec dispositio: primum reiciuntur magistri liberalium artium, qui philosophos vel sapientes se esse putent, ut geometrae [hi soli a Cicerone commemorati sunt § 116], astrologi, arithmetici, alii, fortasse simili ratione, quam invenimus in Senec. ep. 88 [quam Hirzel II p. 525 n. 1 refert ad Posidonium, num recte, equidem maxime dubito]. Deinceps tractata est pars physica [§ 117 sq.], tum pars ethica [§ 129 sq.] tertia denique pars philosophiae logica § 142 a Cicerone adnumeratur. — Ad hanc *disciplinam sapientiae* fortasse referri potest titulus, quem tradidit Sext. Emp. adv. math. VII 201: 'Αντίοχος . . . ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν κανονικῶν. — Ceterum oppono verba Krischei [Studien p. 194]: 'In dem zweiten Theile des Lucullus darf nicht nach einer bestimmten Quelle gefragt werden'. Dielesio, Dox. p. 121 'Si recte a Krischeo demonstratum est — nec scio quis audeat contra dicere — Luculli alteram partem ex

tone vetereque Academia comparare solebat. — Atque si illam totius catalogi divisionem in duo genera memoria tenemus, intellegimus, qua de causa Tullius ubi tabulam illam adiecit, breviter commemorare solet Pyrrhonem, Erillum, Aristonem esse abiectos. Reiciendis his philosophis de fin. V 23 etiam adiungitur Democritus, tantum IV 36 sq., ubi pluribus Pyrrhonis, Erilli, Aristonis mentio fit, antea nominibus omissis Eleatici Megaricique et Eretriaci perstringuntur.

Nunc adeamus ad § 30 tertii libri de fin., quem ex Hecatonis scriptis petisse Tullium probare studet Hirzel II p. 569 sq. 'Nec vero ignoro varias philosophorum fuisse sententias, eorum dico, qui summum bonum, quod ultimum appello, in animo ponerent. Quae quamquam vitiose quidam secuti sunt, tamen non modo iis tribus, qui virtutem a summo bono segregaverunt, cum aut voluptatem (*Aristippus*) aut vacuitatem doloris (*Hieronymus*) aut prima naturae (*Carneades*) in summis bonis ponerent, sed etiam alteris tribus, qui mancam fore putaverunt sine aliqua accessione virtutem ob eamque rem trium earum rerum, quas supra dixi, singuli singulas addiderunt (*Callipho, Diodorus, antiqui*), his tamen omnibus eos antepono, cuicuimodo sunt, qui summum bonum in animo atque in virtute posuerunt (Stoici). 31. Sed sunt tamen perabsurdi et ii, qui cum scientia vivere ultimum bonorum (*Erillus*) et qui nullam rerum differentiam esse dixerunt (*Pyrrho, Aristo*), atque ita sapientem beatum fore, nihil aliud alii momento ullo anteponentem, et qui ut quidam Academici (*Arcesilas*) constituisse dicuntur extremum bonorum et summum munus esse sapientis obsistere visis assensusque suos firme sustinere. His singulis copiose responderi solet, sed quae perspicua sunt, longa esse non debent. Quid autem aper-

Clitomachi commentariis petitam esse' etc. nam Krische singulos tantum locos exhibuit, ubi Cicero Clitomachum sequeretur. In hac parte a § 112 ad fin. praeter § 137 etiam ea, quae § 123 leguntur, ex Clitomachi libris petita esse videntur, nam unde unam narratiunculam (§ 137) fluxisse scimus, ibidem et alia verisimile est inveniri potuisse. In reliqua parte Tullius ipse contra Antiochum stomachatus est eadem dispositione usus, quam inesse vidit in libris ipsius Antiochi. Haec Ciceronis ratio clarissime illustratur § 132 — § 136, ex quibus intellegi potest, quo modo Romanus philosophus suo Marte Graecos impugnet. — Praetereundum non est, ad hanc quam dico operis Antiochii dispositionem pertinere, quae a Cicerone Tusc. V § 68 sqq. exponuntur.

tius quam, si selectio nulla sit ab iis rebus, quae contra naturam sint, earum rerum, quae sint secundum naturam, tollatur omnis ea, quae quaeratur laudeturque, prudentia? Circumscriptis igitur iis sententiis, quas posui, et iis, si quae similes earum sunt, relinquitur, ut summum bonum sit vivere scientiam adhibentem earum rerum, quae natura eveniant, seligentem, quae secundum naturam, et quae contra naturam sint, reicientem, id est, convenienter congruenterque naturae vivere[1].

Eandem atque tabulae illius divisionem quis non videt? Neque quicquam mutatum est nisi quod eorum, qui omnino reiciendi sint, generi Academici Sceptici adiuncti sunt, atque ceteris Stoici anteponuntur, eo tamen consilio, ut eorum singulae definitiones summi boni commixtae Academicis antiquis aptari possint [cf. de fin. IV 14; Hirzel II p. 611 sq. et 623 sq.]. Unde Cicero hunc locum sumpsit? Ex Hecatone? Si hoc concedis Hirzelio, dicendum tibi erit, Hecatonem eadem atque Antiochum divisione sententiarum usum esse, et eodem modo Scepticos ex philosophorum corona exclusisse et ipsum voluptatem [cf. § 17, Hirzel p. 587] omnino reiecisse. — Fieri potuit. — Fieri potuit ut Hecato Antiochi libros exscriberet. — Sed veri valde est dissimile. Atque miror, quod Hirzel Hecatonem attraxerit, cum ipse eum ordinem cognosse videatur, quo hi duo libri III et IV coniuncti sint. Probavit enim in libro III magnam partem recentiorum Stoicorum disciplinas tractari [p. 582 sq.] eamque tractationem praestrui ad quaestiones libri IV [p. 624 sq.], tum in III de singulis rebus varias sententias commemoratas esse [p. 580 sq.] — Quibus concessis nos cum constet in libro IV de fin. Antiochum, cuius etiam catalogi particulam et vestigia ibidem deprehendimus, a Cicerone exprimi, non dubitamus, quin et liber III de fin. ex Antiochi scriptis petitus sit, quibus historica quadam ratione Stoicorum disciplina tractabatur. — Uberiore autem cum opus sit explicatione ut Hirzeli argumenta reiciantur, hoc loco tantum contendo, verisimile esse Ciceronem ex libris Antiochi hausisse [cf. § 36, ubi eadem divisio illa adhibetur], in quibus ille eodem modo, quem in Academicis, quem in catalogo philosophorum cognoscimus, de Stoicorum disciplina dissereret — quod si negas, certum esse Hecatonem ex Antiochi libris non alia, at certe tabulam illam petisse.

Nunc videamus alios locos, quibus Cicero Carneadia quam dicit divisione usus Antiochum secutus esse probetur. Evolve quaeso Tuscul. disp. V § 84: 'Sunt autem haec de finibus, ut opinor, retentae defensaeque sententiae; primum simplices quattuor: nihil bonum, nisi honestum, ut *Stoici;* nihil bonum nisi voluptatem, ut *Epicurus;* nihil bonum nisi vacuitatem doloris, ut *Hieronymus;* nihil bonum nisi naturae primis bonis aut omnibus aut maximis frui, ut *Carneades* contra Stoicos disserebat. Haec igitur simplicia; illa mixta: tria genera bonorum, maxuma animi, secunda corporis, externa tertia, ut *Peripatetici* nec multo veteres *Academici* secus; voluptatem cum honestate *Dinomachus* et *Callipho* copulavit; indolentiam autem honestati Peripateticus *Diodorus* adiunxit. Hae sunt sententiae, quae stabilitatis aliquid habeant; nam Aristonis, Pyrrhonis, Erilli nonnullorumque aliorum evanuerunt'. Deinceps pluribus de illis philosophis disseritur, inprimis autem a § 88 contra Epicurum. Sed priusquam ad illa transeamus, animadvertendum est, quae fuerit locorum, quos attulimus, consensio. Ita, ut omittam illud 'Aristo, Pyrrho, Erillus iam diu eiecti sunt', ad § 87 'si qui sunt, qui desertum illud Carneadeum curent defendere' conferas de fin. IV 44 'si qui Carneadeum finem tueri volunt', eodemque modo ut Acad. II 130 et alibi etiam hoc loco iis sententiis, quae retentae defensaeque sunt, illae opponuntur, quae omnino omittendae sint.

Iam ex iis, quae contra eum, qui mollis, qui voluptarius dicitur [cf. § 88], exposita sunt, unum exemplum eximamus, quod similiter atque Carneadia divisio ad eundem auctorem Graecum spectat. Dico illud Sardanapalli[1] epigramma § 101, quod Antiochus[2] adripuisse videtur ut derideret Epicurum. Et invenimus idem illud dictum de fin. II 106 et in fragmentis libri III de republica [= Schol. Iuven. X 362], quod fragmentum adiciendum est iis, quae Bernays l. c. p. 160 sq. conposuit. — Ope-

---

[1] Cf. Naeke, Choerili fragm. p. 196 sq. Bernays, Die Dialoge des Aristoteles p. 84 et 160. Buecheler, Mus. Rhen. XXX p. 54.

[2] Hic fortasse secutus est Chrysippum [cf. Athen. VIII 14 p. 336 A.]. Ciceronem in Aristotelis libris carmen illud legisse nemo erit quin neget. Mentitus est ut solebat Tullius, cum auctorum nomina apponeret. [Cf. Buecheler l. c.]

rae pretium erit, si ex permultis locis[1], in quibus Sardanapallus cum Epicuro confertur, singulos inter se comparabimus, cum praesertim comparatis illis intellegi possit, quae dicta fuerint ab auctore Graeco, quem Cicero de fin. II 106 secutus sit.

Cic. Tusc. V 101.

Quomodo igitur iucunda vita potest esse a qua absit prudentia, absit moderatio? Ex quo Sardanapalli, opulentissimi Syriae regis error adgnoscitur, qui incidi iussit in busto:

Haec habui, quae edi quaeque exsaturata libido.

Hausit; at illa iacent multa et praeclara relicta.

Quid aliud, inquit Aristoteles, in bovis non in regis sepulchro inscriberes? Haec habere se mortuum dicit, quae ne vivus quidem diutius habebat quam fruebatur.

de fin. II 106.

Sed vobis voluptatum perceptarum recordatio vitam beatam facit, et quidem corpore perceptarum. Nam si quae sunt aliae, falsum est omnes animi voluptates esse de corporis satietate.

Corporis autem voluptas si etiam praeterita delectat, non intellego, cur Aristoteles Sardanapalli epigramma tanto opere derideat, in quo ille rex Syriae gloriatur se omnes secum libidinum voluptates abstulisse.

Quod enim ne vivus quidem, inquit, diutius sentire poterat quam dum fruebatur, quo modo id potuit mortuo permanere?

Fluit igitur voluptas corporis et

Theodoret. Gr. aff. cur. XII p. 1038 Sch. 1149 M. 486 G.

Ἐπειδὴ τοίνυν τοσαύτη τῶν παρανομούντων διαφορά, οὐ χρεὼν ἅπασι χαλεπαίνειν ὁμοίως, ἀλλὰ τοὺς μὲν προδήλως τὸν συώδη βίον ἀσπαζομένους μυσάττεσθαι, τοῖς δὲ ἄλλοις καὶ ξυμβουλεύειν καὶ παραινεῖν, καὶ χεῖρα ὀρέγειν, καὶ θεραπεύειν ἐπιμελῶς, καὶ προσφέρειν τῆς ὑγιείας τὰ φάρμακα· ἐκείνους δὲ, ἤν τι ἐπιμένωσι θηριωδῶς βιοτεύοντες, καὶ περιόντας θρηνήσωμεν, καὶ ἀποθανοῦσι τὸ Σαρδαναπάλλου ἐπίγραμμα προσενέγκωμεν. Τῷ γὰρ δὴ ἐκείνου ἐπιγέγραπται τάφῳ·

Τόσσ' ἔχω, ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα, καὶ μετ' ἔρωτος

Clem. Alex. Strom. II 20, 118.

Οἱ δὲ εἰς ἡδονὴν τράγων δίκην ἐκχυθέντες, οἷον ἐφυβρίζοντες τῷ σώματι, καθηδυπαθοῦσιν οὐκ εἰδότες, ὅτι τὸ μὲν ῥακοῦται, φύσει ῥευστὸν ὄν· ἡ ψυχὴ δὲ αὐτῶν ἐν βορβόρῳ κακίας κατορώρυκται, δόγμα ἡδονῆς αὐτῆς, οὐχὶ δὲ ἀνδρὸς Ἀποστολικοῦ μεταδιωκόντων. τίνι γὰρ οὗτοι Σαρδαναπάλλου διαφέρουσιν; οὗ τὸν βίον δηλοῖ τὸ ἐπίγραμμα·

Ταῦτ' ἔχω, ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα, καὶ μετ' ἔρωτος Τέρπν' ἔπαθον· τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια κεῖνα λέλειπται.

Καὶ γὰρ ἐγὼ σποδός εἰμι, Νίνου μεγάλης βασιλεύσας.

---

[1] Augustin. de civ. dei II 20; Theodoret. Graec. affect. cur. IX p. 942 Schulze p. 1053 tom. IV Migne p. 361 Gaisford; XII p. 1038 Sch. p. 1149 M. p. 486 G. — Clemens Alex. Strom. II 20, 118 p. 177 S. Maxim. Tyr. III 3 et 9; VII 9; X 9; XIII 7; XX 2; XXI 8; XXXV 1. Praeterea cf. not. Halm. ad Cic. frg. de re publ. tom. IV p. 832.

prima quaeque avolat, saepiusque relinquit causam paenitendi quam recordandi.	Τέρπν' ἔπαθον· τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια πάντα λέλειπται. Καὶ γὰρ ἐγὼ σποδός εἰμι, Νίνου μεγάλης βασιλεύσας. Ἀλλὰ γὰρ καὶ τοῦτο ψευδῶς οἱ γεγραφότες ἐπέγραψαν. Οὐ γὰρ ἔχει ὁ τελευτήσας, ἅπερ ἔφαγε καὶ ἔπιεν, ἀλλ' εἰς τὴν δυσώδη φθορὰν ἐκεῖνα κεχώρηκεν· ἔχει δὲ μόνον τοῦ παρανόμου βίου τὴν δυσοσμίαν, ἣ διηνεκῶς τὴν ψυχὴν ἀλγύνει καὶ ἀνιᾷ, ξυνειδυῖαν ἑαυτῇ τὰ κάκιστα καὶ μεμνημένην, ὧν παρανόμως εἰργάσατο.

Quanta insit in his locis similitudo, nemo non intelleget, cum praesertim Ciceronis de fin. II 106 'fluit igitur voluptas etc.' comparaverit cum Theodoreti verbis, quae epigramma sequuntur, et Clementis, quae illud antecedunt. Fluxae et fragili voluptati opponitur vis conscientiae. Itaque mihi dubitatio non esse videtur, quin illi loci ad eundem auctorem referendi sint, quem adhibuit Cicero ad librum II de fin., Antiochum. — Hoc confirmatur eo, quod Antiochus in illorum versuum scriptura discrepasse videtur ab aliis, qui ut Chrysippus apud Athen. VIII 14 p. 336 A[1] scripserint λέλυνται.

Quod Clemens et Theodoretus tertium versum adiecerunt, non habet tantum momenti, ut eum etiam ab Antiocho scriptum, a Cicerone omissum esse putemus, cum praesertim a ceteris qui eum tradiderint duobus versibus anteponatur neque ad

[1] Cf. Naeke l. c. p. 209 et 211.

totam sententiam apte adiectus esse videatur. — Tum ad locum Theodoreti allatum adnotandum est, quod ibi idem illud simile philosophi et medici invenimus, quod in primis Philo Larissaeus, Antiochi magister, adhibuisse fertur ap. Stob. Ecl. II p. 40 H. 39, 24 W.

Theod. l. c.: τοῖς δὲ ἄλλοις καὶ ξυμβουλεύειν καὶ παραινεῖν, καὶ χεῖρα ὀρέγειν, καὶ θεραπεύειν ἐπιμελῶς, καὶ προσφέρειν τῆς ὑγιείας τὰ φάρμακα.	Stob. l. c. Καθάπερ οὖν ἔργον ἰατροῦ πρῶτον μὲν πεῖσαι τὸν κάμνοντα παραδέξασθαι τὴν θεραπείαν .... Ὡς γὰρ ἰατροῦ μετὰ τὸ πεῖσαι παραδέξασθαι τὴν θεραπείαν τὸ προσάγειν ἐστὶ ταύτην, ... μετὰ γὰρ τὰ προτρεπτικὰ πειρᾶται τὰ θεραπευτικὰ προσάγειν, ... Καὶ γὰρ τῇ ἰατρικῇ σπουδὴ πᾶσα περὶ τὸ τέλος, τοῦτο δ' ἦν ὑγίεια, καὶ τῇ φιλοσοφίᾳ περὶ τὴν εὐδαιμονίαν.

Eandemque divisionem fere ex Theodoreti verbis intellegere possumus, qua usus est Philo distinguens τὸν προτρεπτικὸν sive παραινετικὸν et τὸν θεραπευτικὸν λόγον. — Sed redeamus ad Tullium et breviter illud de Socrate dictum commemoremus, quod nescio a quo aptius scriptum sit quam ab Antiocho. Tusc. V 108: 'Socrates quidem cum rogaretur, cuiatem se esse diceret, mundanum, inquit; totius enim mundi se incolam et civem arbitrabatur'. [cf. Zeller II 1 p. 140[3]. Plutarch. περὶ φυγῆς c. 5 p. 600 F. Epictet. diss. I 9 § 1 (cf. § 6. 7. 22). Muson. ap. Stob. flor. 40, 9]. Quibus verbis quae vis insit cum ex locis adnotatis tum apparet ex illo M. Antonini VI 44: 'πόλις καὶ πατρίς, ὡς μὲν Ἀντωνίνῳ μοι ἡ Ῥώμη, ὡς δὲ ἀνθρώπῳ ὁ κόσμος. Τὰ ταῖς πόλεσιν οὖν ταύταις ὠφέλιμα μόνα ἐστί μοι ἀγαθά'. — Atque Tullius ipse § 21 sq. indicat se Antiocho auctore uti, ubi antiquam philosophiam [§ 34] cum Stoicis comparat et illos veteres cum Aristotelem et Xenocratem, tum Speusippum Polemonemque esse dicit [cf. § 30 et § 39]; aliisne autem ex fontibus alia petierit, hanc quaestionem nunc praetereo ut redeam ad illam tabulam, quam etsi breviter tamen non obscure respicit Cicero Tusc. II 15:

'Primum igitur de imbecillitate multorum et de variis disciplinis philosophorum loquar, quorum princeps et auctoritate et antiquitate Socraticus Aristippus non dubitavit summum ma-

lum dolorem dicere. Deinde ad hanc enervatam muliebremque sententiam satis docilem se Epicurus praebuit. Hunc post Rhodius Hieronymus dolore vacare summum bonum dixit: tantum in dolore duxit mali. Ceteri praeter Zenonem, Aristonem, Pyrrhonem idem fere, sed alia peiora'.

Commemoratum esse hunc locum satis sit, ne contra Zietschmannum [diss. Hal. 1868 p. 11] auctorem totius libri II Antiochum esse dicam, quod ut contendam ipse monet Zietschmann p. 6 sq. locis Tusc. II et de fin. II inter se collatis, quoniam probatum est Ciceronem in libro II de fin. Antiocho auctore usum esse [vide p. 5].

In tertio Tusc. libro tabulae invenitur ea pars, quae ad Epicureos pertinet, § 40 sq. [de § 47 vide p. 5 n. 2], ubi illorum disciplina cum antiquis comparatur: 'a gravibus illis antiquis philosophis petenda *medicina* est, non ab his voluptariis'.

In quarto libro commemoratur tabula § 62: 'Quare omnium philosophorum, ut ante dixi, una ratio est *medendi*, ut nihil, quale sit illud, quod perturbet animum, sed de ipsa sit perturbatione dicendum. Itaque primum in ipsa cupiditate, cum id solum agitur, ut ea tollatur, non est quaerendum, bonum illud necne sit, quod lubidinem moveat, sed lubido ipsa tollenda est, ut sive, quod honestum est, id sit summum bonum sive voluptas sive horum utrumque coniunctum sive tria illa genera bonorum, tamen, etiam si virtutis ipsius vehementior adpetitus sit, eadem sit omnibus ad deterrendum adhibenda oratio'. De similitudine medicinae, quae saepissime invenitur in libris Ciceronis, [e. g. cf. Tusc. IV § 24 ratio quasi quaedam Socratica medicina] vide, quae dixi p. 14 et p. 24. — Aeque ac in tertio et quarto libris de fin. a Cicerone in III et IV libris Tusc. Antiochi libros adhibitos esse ne pluribus contendam, impedior refutandis disputationibus virorum doctorum, qui adhuc de Tusculanarum auctoribus Graecis quaestiones fecerunt.

Transeo ad Ciceronis de legibus libros. Atque in primo duo insunt loci, quibus Tullius sententiarum de summo bono tabulam perstringere videtur. § 38: 'iis omnibus, sive in Academia vetere cum Speusippo, Xenocrate, Polemone manserunt, sive Aristotelem et Theophrastum, cum illis congruentes re, genere docendi paulum differentes, secuti sunt, sive, ut Zenoni visum est, rebus non commutatis immutaverunt vocabula, sive

etiam Aristonis difficilem atque arduam, sed iam tamen fractam et convictam sectam secuti sunt, ut virtutibus exceptis atque vitiis cetera in summa aequalitate ponerent, iis omnibus haec, quae dixi, probentur. 39. Sibi autem indulgentis et corpori deservientis atque omnia, quae sequantur in vita quaeque fugiant, voluptatibus et doloribus ponderantis, etiam si vera dicunt — nihil enim opus est hoc loco litibus [1] — in hortulis suis iubeamus dicere, atque etiam ab omni societate rei publicae, cuius partem nec norunt ullam neque unquam nosse voluerunt, paulisper facessant rogemus [2]. Perturbatricem autem harum omnium rerum Academiam, hanc ab Arcesila et Carneade recentem, exoremus ut sileat; nam si invaserit in haec, quae satis scite nobis instructa et composita videntur, miseras edet ruinas. Quam quidem ego placare cupio, submovere non audeo' [3].

Atque eadem duo [4] genera philosophorum, eorum dico, qui ante Platonem vel praeter eum [ut Megarici, Eleatici, alii] et qui post fuerunt, distinguuntur § 36, ubi Cicero illis veteribus eos opponit, 'qui quasi officinas instruxerunt sapientiae'. Concludendum igitur est, in libris Graecis, quos Tullius excerpsit, totum fuisse catalogum, cuius rudera quaedam multis iam locis invenimus.

Respicit Cicero deinde ad hunc locum § 52 sq. et ipsum auctorem Graecum, Antiochum, nominat [§ 54] ita, ut nisi gravissima argumenta obiciantur, concludendum sit, Ciceronem, nimirum exceptis iis, quae ad res Romanas pertinent, neminem nisi Antiochum ad hos libros adhibuisse. Nam inest in iis tam ordinata dispositio, qualem vix in aliis Ciceronis scriptis inveniamus. Atque primus eorum, qui ad nos pervenerunt libri, continet explicationem de natura legis ab hominis natura repetenda, in altero disseritur de religionis, in tertio de magistratuum legibus.

Liceat breviter de libri primi dispositione commemorare, ut intellegamus, non interpositum esse illum de summo bono locum a Cicerone, sed servata dispositione integra unum auc-

[1] En, Cicero Epicureis suis indulget!

[2] Cf. de orat. III 17, 63.

[3] Iterum Ciceronem lenire et levare animadverte, quae a Graeco auctore scripta invenit!

[4] Vide p. 6 sq.

torem Graecum adhibitum esse. § 18 definitur lex 'quae est ratio summa insita in[1] natura, quae iubet ea quae facienda sunt prohibetque contraria. Eadem ratio cum est in hominis mente confirmata et perfecta, lex est'. Deinceps initium fit a supremo deo, qui praeclara quadam condicione generavit hominem, quocum communicavit divinam rationem. Ita fit homini cum deo rationis societas, id est lege inter se coniuncti sunt. Tum § 24 quaeritur de natura hominis. Atque haec talis est, ut sit homini similitudo cum deo, qui fragili et caduco mortali animum ingeneravit eumque singulari quodam modo ornavit. § 29. Et omnes inter nos similes et pares sumus cum in rectis tum in pravitatibus, ut omnes facile capimur voluptate, 'quae etsi est inlecebra turpitudinis, tamen habet quiddam simile naturali bono'[2].

Ita nos omnes iure, quod natura datum est, coniuncti nihilo nos ipsos plus quam alteros diligere debemus atque ut omnia, quae a natura data sunt, non utilitatis causa [§ 41] sed propter se expetenda sunt[3] ut bona et honesta, ita ius sua sponte expetendum est [§ 48]. Idem dicitur de iustitia reliquisque virtutibus. Et leges naturae sequi est hominis summum bonum. Nam ita eo pervenire possumus, ut rationem nostram conficiamus et appetamus eam sapientiam [§ 58] 'quae docuit ut nosmet ipsos nosceremus: cuius praecepti tanta vis et tanta sententia est, ut ea non homini quoipiam, sed Delphico deo tribueretur'. Cf. de fin. V 44[4]: 'Intrandum igitur est in rerum naturam et penitus quae ea postulet pervidendum: aliter enim nosmet ipsos nosse non possumus. Quod praeceptum quia

---

[1] 'in' deleverunt Madvig et Halm; servandum esse adsentior Vahleno.

[2] Cf. § 60 et 47: animis omnes tenduntur insidiae vel ... vel ab ea, quae penitus in omni sensu inplicata insidet, imitatrix boni, voluptas, malorum autem mater omnium. cf. Max. Tyr. IV 2: Ὁ δὲ μόνον ὑπόλοιπον ἦν τῇ ἀρετῇ συμμαχικὸν, ὁ λόγος, καὶ τοῦτο σχίζεται καὶ διαιρεῖται· καὶ ἐξεύρηταί τις καὶ παρ' αὐτοῦ ἐπικουρία ἡδοναῖς. [cf. § 3 Ἐπίκουρον δὲ διὰ τοὔνομα οὐ φέρω, οὐδὲ ἀνέχομαι φιλοσοφίας ὑβριζούσης]. Cf. Cic. ep. ad famil. III 9, 2.

[3] Idem ab Antiocho praeceptum invenitur in toto libro V de fin. — Cf. Zeller III 1 p. 606[3] n. 1.

[4] Ne totum Tullium exscribam, confer quaeso quae sequuntur cum de leg. 59 sq.

maius erat, quam ut ab homine videretur, idcirco assignatum est deo. Iubet igitur nos Pythius Apollo noscere nosmet ipsos'[1].

Itaque cum viderimus unum tenorem in hoc libro servatum esse et aptissime demonstrari leges naturae sequi summum esse bonum, nescio unde dubitatio existat, quin Antiochum auctorem agnoscamus[2]. Atque ipse Cicero hoc confirmare videtur § 54, cum dicat Antiochum virum prudentem et acutum, cui se ita adsentiri, ut illam verborum controversiam de summo bono totam posse sedari concedat atque redeundum esse ad terminos, quos Socrates pegerit [§ 56]. — Deinceps verba 'Sed certe ... lege vivere' Halm non recte inclusit uncinis. Sapiunt Antiochum, qui definitiones plures coniungere solebat. [cf. Bakii ed.. p. 400 et Vahlenum ad h. l.].

Priusquam pergamus, liceat animadvertere, qualis vis conscientiae ab Antiocho tributa sit. cf. § 40 'sed eos agitant insectanturque furiae, non ardentibus taedis, sicut in fabulis, sed angore conscientiae fraudisque cruciatu'. Eadem commemoratur de leg. II 43, quibus cum locis cf. de fin. II 106 et Theodoret. l. c. [vide p. 13]. Praeterea cf. de re publ. III 33 Lact. VI 8 et de off. III 44. Tusc. II § 64 IV 45. de deor. nat. III 85 Paradoxa II 18 V 40. — pro Roscio 67. ep. ad Attic. XII 28, 2 XIII 20, 4. — Neque praetermittendum est quod II 14—16 legibus de religione prooemium anteponitur, quod supervacaneum esse videbatur Posidonio, a quo Seneca se dissentire dicit epist. 94, 38. — Et ex eo modo, quo Cicero de leg. II 32 et 33 divinationem attingit, intellegitur, quod ratione libri primi confirmatur et probatur, Antiochum divinationem et omnem superstitionem sustulisse ita, ut ad eum referendum esse putem, quod dicit Cic. de div. I 86 'Neque ante philosophiam patefactam, quae nuper inventa est, hac de re communis vita dubitavit' et II 149: 'Quamobrem, ut religio propaganda etiam est, quae est iuncta cum cognitione naturae, sic superstitionis stirpes omnes eiciendae'. Quae sit illa religio iuncta cum cognitione naturae, discimus ex l. I de leg. et V de fin.

---

[1] Idem illud Delphicum commemoratur Tuscul. V 38 et 70. de leg. I 61. Tusc. I 52. Cf. de officiis I 31, 114.

[2] Ne longius provehar, alia indicia praetereo, quibus utendum est, cum disciplina Antiochia exponatur.

Sequitur ut Ciceronem in libris de officiis ad tabulam illam respicere probem. Primi quidem libri § 5 et 6 ad Antiochum spectare nemo negabit, cum aliis omissis tantum legerit: 'Ita propria est ea praeceptio Stoicorum, Academicorum, Peripateticorum, quoniam Aristonis, Pyrrhonis, Erilli iam pridem explosa sententia est'. Sed cum ipse Cicero dicat se potissimum Stoicos sequi, hunc librum valere iubeo[1], ut ad tertium me convertam, cuius de fontibus nondum satis quaesitum esse ab Hirzelio puto. — Legimus § 7 sq. eum locum, quem praetermiserit Panaetius, de honestate contra utilitatem pugnante a Posidonio breviter in commentariis quibusdam tactum esse, alios autem dicere consulto eum a Panaetio esse relictum, nec omnino scribendum fuisse, quia numquam posset utilitas cum honestate pugnare. Hac in contentione Cicero iis adsentitur, quae a Posidonio tradita esse videntur, voluisse Panaetium de ea re disserere sed non perfecisse. Addit dubitandum non esse quin numquam possit utilitas cum honestate contendere, sive id summum bonum sit, quod Stoicis sive quod Peripateticis placeat. Socrati autem Stoicos assensos esse, 'ut quicquid honestum esset, id utile esse censerent, nec utile quicquam, quod non honestum. 12. Quod si is esset Panaetius, qui virtutem propterea colendam diceret, quod ea efficiens utilitatis esset, ut ii, qui res expetendas vel voluptate (Epicurus, Callipho) vel indolentia (Hieronymus, Diodorus) metiuntur, liceret ei dicere utilitatem aliquando cum honestate pugnare. Sed cum sit is, qui id solum bonum iudicet, quod honestum sit, quae autem huic repugnent specie quadam utilitatis, eorum neque accessione meliorem vitam fieri nec decessione peiorem, non videtur *debuisse* eius modi deliberationem introducere, in qua quod utile videretur cum eo, quod honestum esset, comparetur'. Sequitur summi boni definitio Stoicorum more Antiochio explicata. Vides, quomodo Cicero Posidonii iudicio sententiam Antiochi, illi repugnantis, adiunxerit, qui Panaetium tabula adhibita ex illecebris voluptariorum ad Academiam traducere studet.

---

[1] Hirzelio II p. 721 sq. non omnia concedo. Ita mihi quidem ex eo modo, quo Posidonius I 159 [Hirzel p. 723] commemoratur, potius concludendum esse videtur, Ciceronem non multum ex illius scriptis petisse. Ad complendam Panaetii expositionem meo quidem iudicio a Cicerone vix adhibitus est.

Constituitur deinceps formula § 20 sq., quae sit maxime Stoicorum disciplinae consentanea. His verbis indicat Cicero, se ex alius cuiusdam, non Stoici, scriptis illam formulam excerpere, atque suo iure se id facere cum inter Stoicos et Peripateticos Academicosque non magna sit dissensio cumque sibi ipsi ut Sceptico id liceat. Num dubitatio ulla est, quin ex eiusdem libris, in quibus illam excusationem invenit, et regulam hauserit? — Eis quae deinceps de lege dicuntur, magna est similitudo cum eis quae de leg. I explicata sunt. Liceat locos conferre:

de off. III 23.	de leg. I 18.
de off. III 23. hoc enim spectant leges, hoc volunt, incolumem esse civium coniunctionem, quam qui dirimunt, eos morte exsilio, vinclis damno coercent. Atque hoc multo magis efficit ipsa naturae ratio, quae est lex divina et humana, cui parere qui velit — omnes autem parebunt, qui secundum naturam volent vivere — nunquam committet etc.	de leg. I 18. . . lex est ratio summa insita in natura, quae iubet ea quae facienda sunt prohibetque contraria. Eadem ratio cum est in hominis mente confirmata et perfecta, lex est. 19 . . . ea iuris atque iniuriae regula . . . 23 . . . estque et in homine et in deo . . . inter quos autem ratio, inter eosdem etiam recta ratio est communis. Quae cum sit lex, lege quoque consociati homines cum diis putandi sumus.

Tum hoc loco ea sententia commemorata est, ad quam pertinet explicatio libri I de leg.: omnes legi parere oportere, qui secundum naturam vivere velint. Praeterea comparanda sunt quae § 44 ad conscientiam spectant cum de leg. II § 43 et I § 40[1].

Ceterum plures auctores, qui a Cicerone adhibiti sunt, facile distinguuntur: § 20—31, 35—46, 48 et 49 eidem uni tribuendae sunt. In priore parte explicatur, hominem non incommodo alieno suum commodum augere debere, nam oboedientem naturae homini nocere non posse, nisi errore quo affectum, in altera praecipitur, quomodo agere debeamus, si utilitatis species videatur contra honestatem pugnare. Legem divinam, rationem, virtutem ut sequamur monet nos conscientia.

Inde a § 50 difficiles causae — magnam partem fabellae — explicantur, quae Rhodiorum [cf. exempla § 50] scholam sapiunt. Accuratius, quam mihi nunc propositum habeo, inqui-

1 Cf. Lactant. VI 24, 12 sq. — Vide p. 18.

rendum est, quae ex Panaetii, quae ex Posidonii, quae ex Hecatonis libris petita sint [cf. § 63. 89. ep. ad Attic. XVI 11, 4. 14, 4]. § 73 Tullius redire videtur ad eum auctorem, quem § 20 sqq. secutus est. § 74 et § 81 ei in memoriam venit regula § 21 data. — § 89 Hecatonis exempla adhibentur.

§ 96 nova dispositio introducitur. Haec quattuor virtutibus adaptata — si excipias § 99—115, in quibus ad illustrandam fortitudinem res Romanae enarrantur et tractantur, cum omnino neglecta sit, fortasse a Cicerone ipso ex libro primo adhibita est, ut ex ipsius verbis § 96 intellegi potest: 'Sed quoniam a quattuor fontibus honestatis primo libro officia duximus, in eisdem versemur, cum docebimus ea, quae videantur esse utilia neque sint, quam sint virtutis inimica. Ac de prudentia quidem, quam vult imitari malitia, itemque de iustitia, quae semper est utilis, disputatum est. Reliquae sunt duae partes honestatis, quarum altera in animi excellentis magnitudine et praestantia cernitur, altera in conformatione et moderatione continentiae et temperantiae'. Atque quantum postea hanc dispositionem secutus sit Tullius, apparet ex § 116, ubi brevissime quartam partem, temperantiam, tangit, de ipsa autem re proposita fere nihil dicit. Non recte autem Baiter verba § 96 'Ac de prudentia . . . temperantiae' Vngerum secutus inclusisse videtur. Mihi enim aptissime scripta videntur esse a Tullio, qui nunc libro tertio eandem atque primo dispositionem adhibere sibi videtur. Hoc consilium, totum librum ad aequalitatem et certam rationem reducendi, et eo cognoscitur, quod ut § 74 et § 81 ad illam regulam § 21, sic § 102 ad § 44 respicit Cicero. In illa autem parte § 97—112 quem Cicero secutus sit, apparet ex epistola ad Attic. XVI 11, 4: 'Τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος, quatenus Panaetius, absolvi duobus. Illius tres sunt; sed cum initio divisisset ita, tria genera exquirendi officii esse: unum, cum deliberemus, honestum an turpe sit; alterum, utile an inutile, tertium, cum haec inter se pugnare videantur, quomodo iudicandum sit, *qualis causa Reguli, redire honestum, manere utile:* de duobus primis praeclare disseruit; de tertio pollicetur se deinceps: sed nihil scripsit. Eum locum Posidonius persecutus est. Ego autem et eius librum arcessivi etc'.

§ 113 deinceps ex Polybii § 115 ex Acilii libris loci adhibentur.

§ 116 dispositionis servandae causa, ut dixi, commemorat Tullius quartam virtutem, ut statim properet ad Antiochi tabulam, qua libenter eum usum esse vidimus. — Impugnat Aristippum, Cyrenaicos, Annicerios, Epicurum [§ 116], Metrodorum [§ 117], — tum Calliphontem et Dinomachum § 119, 'qui cum honestate voluptatem, tamquam cum homine pecudem copulavissent'. Habes voluptariam partem catalogi; ceteros differt: § 119 'sed de hoc — magna enim res est — alio loco pluribus: nunc ad propositum'. Quid? ad propositum? Nondum ad finem pervenimus?

§ 120 'Quem ad modum igitur, si quando ea quae videtur utilitas, honestati repugnat, diiudicanda res sit satis est supra disputatum. Sin autem speciem utilitatis etiam voluptas habere dicetur, nulla potest esse ei cum honestate coniunctio. Nam ut tribuamus aliquid voluptati, condimenti fortasse nonnihil, utilitatis certe nihil habebit'. Iam propositum expletum est! Brevissime nova pars confecta est, quam Graecus philosophus sine dubio maiorem fecit. — Fortasse ex eo quod Cicero confecta dispositione, quam ipse § 96 proposuit, extremo libro voluptatem attigit, intellegi potest ratio Antiochi, qui et Stoicos et Epicureos refutaverit. — Reliquum est ut commemorem virtutis divisionem de off. II § 17, quae adhuc quantum scio neglecta esse videtur[1]. Appono Eudori divisionem ethicae et Senecae ep. 89, 14:

Senec. ep. XIV 1. [89] § 14 ed. Buecheler.	Cic. de off. II 18.	Stob. Ecl. II 48 H. 42 W.
[moralem partem] quam in tria rursus dividi placuit, ut *prima* esset inspectio suum cuique distribuens et aestimans quanto quidque dignum sit, maxime utile. quid enim est tam necessarium quam pretia rebus inponere? *secunda* de impetu, de	Etenim virtus omnis tribus in rebus fere vertitur quarum una est in perspiciendo, quid in quaque re verum sincerumque sit, quid consentaneum cuique, ex quo quaeque gignantur, quae cuiusque rei causa sit, *alterum* cohibere motus animi turbatos,	Ταῦτ' ἐστὶν ἁδρομερῆ τῆς ἠθικῆς εἴδη, πρῶτον μὲν τὸ θεάσασθαι τὴν ἀξίαν τοῦ πράγματος, ὅπερ αἱρεῖσθαι μέλλομεν, οὐδὲ γὰρ οἷόν τε γενέσθαι τὴν ὁρμὴν εὔλογον εἰ μὴ μετὰ τὴν θεωρίαν· ἡ θεωρία δ'ἐστὶ περίσκεψις τοῦ πράγματος

[1] Cf. Hirzel II p. 503 sq., qui hunc locum praetermisisse videtur, etsi p. 512, 1 eius mentio fit.

actionibus *tertia*. *primum* enim est, ut quanti quidque sit indices, *secundum* ut impetum ad illa capias ordinatum temperatumque, *tertium*, ut inter impetum tuum actionemque conveniat, ut in omnibus satis tibi ipse consentias. etc.

quos Graeci πάθη nominant, appetitionesque quas illi ὁρμάς, oboedientes efficere rationi, *tertium* iis, quibuscum congregemur, uti moderate et scienter, quorum studiis ea, quae natura desiderat, expleta cumulataque habemus, per eosdemque, si quid importetur nobis incommodi, propulsemus ulciscamurque eos, qui nocere nobis conati sunt, tantaque poena adficiamus, quantam aequitas humanitasque patitur.

καὶ οἷον ἐπίκρισις κατὰ τὸν περὶ αὐτοῦ λογισμόν. δεύτερον δὲ τὸ τὴν ὁρμὴν τῷ περινοηθέντι καλῶς ἐπιβαλεῖν· [cf. p. 50 H. 44,3 W. Τοῦ δὲ περὶ τῆς ὁρμῆς λόγου ὁ μέν ἐστι περὶ τῆς εἰδικῆς ὁρμῆς, ὁ δὲ περὶ παθῶν]. τρίτον τὸ τὴν πρᾶξιν αὐτοῖς ἐπισυνάψαι.

Videmus tria genera virtutis aptissime referri ad tripartitam ethicam, quod etiam magis apparet, si in animo habemus, quae in illis singulis partibus contenta sunt [cf. Eudori divisionem apud Stob. l. c.]. — Virtutes igitur distinguuntur ἡ θεωρητική, ἡ ἠθική[1], ἡ πρακτική. A quo philosopho? Hirzel II p. 498 sq. probavit, Panaetium [cf. Diog. Laert. VII 92] et Posidonium in duo genera virtutem partitos esse ita ut theoreticae practicen opponerent. Sed ne nimis longe a proposito aberrem, id tantum adnotare volo, rudera quaedam ethicae eodem modo in tres partes divisae inveniri in Cic. de fin. V, quamvis huius libri dispositio perturbata sit. Hae partes quadrant ad Eudori θεωρητικὸν, ὁρμητικὸν, πρακτικόν. Prima incipitur § 27. Explicatur constitutio naturae, id est vis providentiae, a qua homo optime institutus omnesque ad virtutes paratus est. Eadem providentia cum animalibus et motum se ipsum diligendi et appetitionem salutis, id est studium se et partes suas integra et salva conservandi inseruisse dicatur, sine dubio illa est πρόνοια σωτηρίας, quam appellat Arius Did. ap.

---

[1] Cf. Arium Didym. ap. Stob. II 38 H. 39, 11 W.: Ἠθικὴ δ'ἐστὶν ἀρετὴ μεσότης παθῶν, ἢ ἕξις ὁρίζουσα τοῦ πάθους τὴν ὑπερβολὴν καὶ τὴν ἔλλειψιν τῷ τῆς φρονήσεως λόγῳ· ἢ ἕξις προαιρετικὴ τοῦ καλοῦ περὶ ἡδονὰς καὶ λύπας.

Stob. II 248 H. 119, 3 W. cf. 286 H. 134, 10 W. Simile hoc congruit cum medico, quo de dictum est p. 14. — Quaecumque efficit providentia, bona sunt; quaestio igitur fit, unde mala orta sint[1] [§ 41]. Haec fiunt, si leges naturae negleguntur; ergo ea, quae a natura praecipiuntur, cognoscenda sunt. Hanc ad cognitionem homo a providentia optime institutus est, sed ipsam illam ipse sibi parare debet. Nam homo liber sua sponte bona appetere debet, quam ad rem talem mentem ei natura dedit [cf. § 59]. 'Intrandum igitur est in rerum naturam et penitus quid ea postulet pervidendum'. [§ 44] nam sola naturae cognitione eo pervenimus, ut mala vitemus, bona adipiscamur. Et ad omnia haec cognoscenda movemur ipsa natura et ea vi, quae inest et in corpore et in animo nostro [§ 46 sq.] § 55 sq. demonstratur animus semper agendum aliquid appetere — nos ad agendum nati sumus [§ 58]. Videtur haec pars respondere ad illum ὁρμητικόν. Tum § 58 breviter actiones commemorantur. Distinguuntur βίος θεωρητικός et βίος πρακτικός. Pertinent haec ad tertium illum πρακτικόν.

Sed ne longius provehar, haec omittamus et complectamur seriem philosophorum, qui ab Antiocho tractati sint[2]. Vidimus duo genera distincta esse in scriptis Ciceronis, alterum eorum, quorum definitiones summi boni omnino ut falsae reiciendae erant, alterum eorum, inter quos contentio erat quorumque definitiones tabulae insertae sunt. Atque eadem hac divisione disciplina Platonica, quam dixit Antiochus, id est omnium philosophorum, qui inde a Platone scholas habebant, disiungitur a ceteris philosophis, sive Socraticis, ut Megaricis et Eretriacis, sive iis, qui antea fuerunt. Sceptici nimirum omnino exclusi sunt, cum ipsi cum dogmatis omnem philosophiam sustulerint [cf. Acad. II 27]. — Sic oritur hic catalogus philosophorum,

---

[1] Ad hanc quaestionem cf. Tusc. III 15, 31. 16, 34. de deor. nat. III 28, 71. 30, 75. Hortens. fragm. 31.

[2] Adiciendus est locis ex Cicerone allatis de divin. I § 5. de oratore I c. 51 § 222. III c. 16 § 59 [quo cum loco cf. Quintiliani XII 2, 23 sq.]. De his locis spero me alias quaestionem facturum esse. — Tum praetereundum non est, quod ipsis in orationibus tabula illa commemoratur ut in or. pro M. Caelio c. 17 § 41 et in or. in Pisonem c. 28 § 68. Hanc rem in animo habere debet, qui scripturus est de Ciceronis arte in orationibus componendis.

quem ut ex Ciceronis libris potest intellegi, adhibuit auctor Graecus, Antiochus.

Eleatici.	Xenophanes. Parmenides. Zeno.
Megaricus.	Euclides.
Eretriacus.	Menedemus.
	Pyrrho.
	Erillus.
	Aristo.
	Democritus.
	(Arcesilaus) Academici quidam.

---

tabulae inserti: Aristippus.
Cyrenaici.
Annicerii.
Epicurus.
(Metrodorus).
Callipho.
Dinomachus.
Hieronymus.
Diodorus.
Carneades [disserendi causa].
Stoici.
Antiqui.

Hunc catalogum si consideras, nonne mirum videtur, quod ipse Plato deest? Nam si antiquos id est Academicos et Peripateticos nominat, Tullius tantum Speusippum, Polemonem, Aristotelem, Theophrastum, Xenocratem enumerat. Revera nomine adiecto Platonis ipsius definitionem[1] frustra in Ciceronis scriptis quaesivi. Proficiscitur ab ea tota explicatio libri I de leg., sed ipsa non datur.

Atque si nomina philosophorum a Cicerone allata consideramus, singulos inveniemus nusquam nominatos esse nisi illis locis, quibus Antiochus adhibitus est. Ita Pyrrho, Erillus, Aristo,

---

[1] Ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν; cf. Ar. Did. ap. Stob. Ecl. II 64 H. 49, 8 W.

[praetermitto de deor. nat. I 37 III 71], Callipho, Dinomachus, Diodorus [si excipis de orat. I 45 [1]], Euclides, Menedemus a Cicerone nunquam nisi ex Antiochi libris promuntur. His adiciendus est ipse Polemo et, si praeterimus narratiunculas de invent. II 176 de deor. nat. III 77 et unum locum de off. I 148, Socraticus Aristippus.

Scilicet ille catalogus, quem ex Ciceronis excerptis restituimus, minime integer et solidus est. Concludendum potius est ex ruderum dispositione et ratione, quam perspicere possumus, omnium quantum fieri potuit philosophorum definitiones summi boni a Graeco auctore tractatas fuisse. In primis autem recentiorum philosophorum ut Stoicorum et Peripateticorum sententias pluribus fuisse explicatas et correctas vel maxime verisimile est. Itaque non errare me puto, si ut quarti ita tertii de fin. libri excerpta ex Antiochi libris manasse persuasum habeo.

Quae de catalogo philosophorum a Cicerone tradito adhuc disseruimus, confirmantur et probantur, si considerabimus duos locos, quibus catalogus philosophorum, quos praeter tabulam illam enumeratos esse vidimus, multum augetur. Traduntur enim sententiae philosophorum de summo bono et a Clemente Alexandrino, Strom. II 21, 127. p. 178 S. 495 P. 227 Dind. et a Theodoreto, Graec. affect. cur. XI p. 983 Sch. t. IV p. 1093 M. p. 415 G. — Quos locos inter se comparaturus Clementis ordinem sequor, non quod rectior sit quam Theodoreti — ab utroque enim perturbatus est ordo — sed quod uberior catalogus illius est. Quem ipse Theodoretus secutus est, ordo hic est: 1. Epicurus, 2. Democritus, 3. Heraclitus, 4. Pythagoras, 5. Hecataeus, 6. Antisthenes, 7. Anaxagoras, 8. Plato, 9. Aristoteles, 10. Stoici, 11. Epicurus.

Neque loci Arii Didymi, qui pertineant ad hunc catalogum, praetermittendi sunt; ad quos confer, quae de Arii epitoma dixi p. 39 n. 1.

---

[1] Quantum Cicero in libris oratoriis Antiochi libros adhibuerit, alias videndum erit.

Clem. l. c. § 127.

Ἐπίκουρος δὲ ἐν τῷ μὴ πεινῆν μηδὲ διψῆν μήτε ῥιγοῦν τὴν εὐδαιμονίαν τιθέμενος τὴν ἰσόθεον ἐπεφώνησε φωνὴν ἀσεβῶς εἰπὼν ἐν τούτοις κἂν Διὶ πατρὶ[1] μάχεσθαι ὥσπερ ὑῶν σκατοφάγων καὶ οὐχὶ τῶν λογικῶν καὶ φιλοσόφων τὴν μακαρίαν νίκην δογματίζων· τῶν γὰρ ἀπὸ τῆς ἡδονῆς ἀρχομένων τούς τε Κυρηναϊκοὺς εἶναι καὶ τὸν Ἐπίκουρον. τούτους γὰρ τέλος εἶναι λέγειν διαρρήδην τὸ ἡδέως ζῆν, τέλειον δὲ ἀγαθὸν μόνον τὴν ἡδονήν, ὁ δὲ Ἐπίκουρος[2] καὶ τὴν τῆς ἀλγηδόνος ὑπεξαίρεσιν ἡδονὴν εἶναι λέγει, αἱρετὸν δὲ εἶναί φασιν[3] ὃ πρῶτον ἐξ ἑαυτοῦ ἐφ' ἑαυτὸ ἐπισπᾶται, πάντως δηλονότι ἐν κινήσει ὑπάρχον. Δεινόμαχος δὲ καὶ Καλλιφῶν τέλος εἶναι ἔφασαν πᾶν τὸ καθ' αὑτὸν ποιεῖν ἕνεκα τοῦ ἐπιτυγχάνειν, ὅ τε Ἱερώνυμος ὁ περιπατητικὸς τέλος μὲν εἶναι τὸ ἀοχλήτως ζῆν, τελικὸν δὲ ἀγαθὸν μόνον τὴν εὐδαιμονίαν. καὶ Διόδωρος ὁμοίως ἀπὸ τῆς αὐτῆς αἱρέσεως γενόμενος τέλος ἀποφαίνεται τὸ ἀοχλήτως καὶ καλῶς ζῆν[4].

§ 128. Ἐπίκουρος μὲν οὖν καὶ οἱ Κυρηναϊκοὶ τὸ πρῶτον οἰκεῖόν φασιν ἡδονὴν εἶναι· ἕνεκα

Theod. l. c.

§ 16 n 11. Ἐπίκουρος δὲ τὴν ἐναντίαν τούτοις ὁδεύσας, τὸ μήτε πεινῆν μήτε διψῆν εὐδαιμονίαν ὡρίσατο καὶ τούτων τὸν ἀπολαύοντα ἔλεγε κἂν Διὶ πατρὶ μάχεσθαι· οὕτως αὐτὸν τὸ φιλήδονον ἐπαιδοτρίβησεν εἰς ἀσέβειαν.

§ 6. n 1. Ὁ μὲν οὖν Ἐπίκουρος τὸ ἥδιστα ζῆν ὡρίσατο τέλος· τέλεον γὰρ ἀγαθὸν μόνην ἡγεῖτο τὴν ἡδονήν.

---

1 ad hoc cf. Senec. dial. I 1, 5. epist. 25, 4. 73, 12. 110, 18. 119, 7. Stob. flor. 17, 30. Cic. de fin. II 88. de deor. nat. II 153. — Stob. Ecl. II 198 H. 98, 20 W. Plut. Mor. p. 1076 V 1 p. 330 Ox.

2 De differentia Aristippi et Epicuri vide p. 5 et 42 et Cic. de fin. II § 4 sq., ubi Epicurus ab Antiocho vituperatur, quod in terminis definiendis rudis et inconstans sit.

3 Sic scribo pro ‘φησιν’ secutus Menagium in Diog. Laert. X 156.

4 Adhuc voluptariorum partem tabulae illius explicatam esse, nemo non viderit.

γὰρ ἡδονῆς παρελθοῦσα, φασίν, ἡ ἀρετὴ ἡδονὴν ἐνεποίησε. κατὰ δὲ τοὺς περὶ Καλλιφῶντα ἕνεκα μὲν τῆς ἡδονῆς παρεισῆλθεν ἡ ἀρετή, χρόνῳ δὲ ὕστερον τὸ περὶ αὐτὴν κάλλος κατιδοῦσα ἰσότιμον ἑαυτὴν τῇ ἀρχῇ, τούτεστι τῇ ἡδονῇ παρέσχεν. οἱ δὲ περὶ τὸν Ἀριστοτέλη τέλος ἀποδιδόασιν εἶναι τὸ ζῆν κατ' ἀρετήν, οὔτε δὲ τὴν εὐδαιμονίαν οὔτε τὸ τέλος παντὶ τῷ τὴν ἀρετὴν ἔχοντι παρεῖναι· βασανιζόμενον γὰρ καὶ τύχαις ἀβουλήτοις περιπίπτοντα τὸν σοφὸν καὶ διὰ ταῦτα ἐκ τοῦ ζῆν ἀσμένως ἐθέλοντα διαφεύγειν μὴ εἶναι μήτε μακάριον μήτ' εὐδαίμονα. δεῖ γὰρ καὶ χρόνου τινὸς τῇ ἀρετῇ, οὐ γὰρ ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ περιγίνεται, ἣ καὶ ἐν τελείῳ συνίσταται, ἐπεὶ μὴ ἔστιν, ὥς φασι, παῖς εὐδαίμων ποτέ· τέλειος δ'ἂν εἴη χρόνος ὁ ἀνθρώπινος βίος. συμπληροῦσθαι τοίνυν τὴν εὐδαιμονίαν ἐκ τῆς τριγενείας τῶν ἀγαθῶν. οὔτ' οὖν ὁ πένης οὔθ' ὁ ἄδοξος, ἀλλ' οὐδ' ὁ ἐπίνοσος, ἀλλ' οὐδ' ἂν οἰκέτης ᾖ τις κατ' αὐτούς.

Theod. § 13 n 9. Ἀριστοτέλης δέ, τῆς Πλάτωνος διδασκαλίας μεταλαχών, τούτων οὐκ ἀπώνατο τῶν δογμάτων, ἀλλὰ ξυμπληροῦσθαι τὴν εὐδαιμονίαν ἐκ τριγενείας ἔφη, ἐκ τῶν κατὰ ψυχήν, ἐκ τῶν κατὰ σῶμα, ἐκ τῶν ἐκτός. χρῆναι γὰρ τὸν εὐδαίμονα ἔλεγε μὴ μόνον ἀρετῇ κοσμεῖσθαι, ἀλλὰ καὶ ῥώμην ἔχειν, καὶ ὥρα λάμπειν, καὶ πλούτῳ περιρρεῖσθαι· τὸν δέ τινος τούτων ἐστερημένον ἥκιστα καλεῖσθαι εὐδαίμονα. [sequuntur versus Simonidis et Theognidis, a Clemente traditi IV 5, 23 p. 207, 28 S].

§ 129. Πάλιν δ'αὖ Ζήνων μὲν ὁ Στωικὸς τέλος ἡγεῖται τὸ κατ' ἀρετὴν ζῆν, Κλεάνθης δὲ τὸ ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν, ⟨Διογένης δὲ τὸ[1]⟩ εὐ-

Arius ap. Stob. Ecl. II 132 H. 75 W.: Τὸ δὲ τέλος ὁ μὲν Ζήνων οὕτως ἀπέδωκε· 'τὸ ὁμολογουμένως ζῆν'· τοῦτο δ'ἐστὶ καθ' ἕνα λόγον καὶ σύμφωνον ζῆν, ὡς τῶν

Theod. § 15. n 10. Οἱ δὲ Στωικοὶ ἐναντία τούτοις ἄντικρυς ἐψηφίσαντο. Τὸ γὰρ ἀκολούθως τῇ φύσει ζῆν ὡρίσαντο τέλος, καὶ τὴν ψυχὴν ἔφασαν

Clem. Str. II p. 174, 8 S. ἐντεῦθεν καὶ οἱ Στωικοὶ τὸ ἀκολούθως τῇ φύσει ζῆν τέλος εἶναι ἐδογμάτισαν τὸν θεὸν εἰς φύσιν μετονομάσαντες εὐπρε-

[1] Cod. ἐν τῷ. — Nomen Diogenis culpa librarii omissum esse, iam alii viderunt; cf. not. Potteri et Hirzel. II p. 234. — Deest Chrysippi mentio. — Hiatum orationis Clementinae aliquanto maiorem esse idque apparere conlato Ario monuit me Vsener. — Ceterum comparandus est Diog. Laert. VII 87 sq. ut intellegas, quae differentia intersit inter auc-

λογιστεῖν, ὃ ἐν τῇ τῶν κατὰ φύσιν ἐκλογῇ κεῖσθαι διελάμβανεν. ὅ τε Ἀντίπατρος ὁ τούτου γνώριμος τὸ τέλος κεῖσθαι ἐν τῷ διηνεκῶς καὶ ἀπαραβάτως ἐκλέγεσθαι μὲν τὰ κατὰ φύσιν, ἀπεκλέγεσθαι δὲ τὰ παρὰ φύσιν ὑπολαμβάνει. Ἀρχέδημός τε αὖ οὕτως ἐξηγεῖτο εἶναι τὸ τέλος ἐκλεγόμενος τὰ κατὰ φύσιν μέγιστα καὶ κυριώτατα, οὐχ οἷόν τε ὄντα ὑπερβαίνειν. πρὸς τούτοις ἔτι[1] Παναίτιος τὸ ζῆν κατὰ τὰς δεδομένας ἡμῖν ἐκ φύσεως ἀφορμὰς τέλος ἀπεφήνατο. ἐπὶ πᾶσί τε[1] ὁ Ποσειδώνιος τὸ ζῆν θεωροῦντα τὴν τῶν ὅλων ἀλήθειαν καὶ τάξιν καὶ συγκατασκευάζοντα αὐτὸν κατὰ τὸ δυνατόν, κατὰ μηδὲν ἀγόμενον ὑπὸ τοῦ ἀλόγου μέρους τῆς ψυχῆς. τινὲς δὲ τῶν νεωτέρων Στωικῶν οὕτως ἀπέδοσαν τέλος εἶναι, τὸ ζῆν ἀκολούθως τῇ τοῦ ἀνθρώπου κατασκευῇ. τί δή σοι Ἀρί-

μαχομένως ζώντων κακοδαιμονούντων. Οἱ δὲ μετὰ τοῦτον προσδιαρθροῦντες οὕτως ἐξέφερον 'ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν' ὑπολαβόντες ἔλαττον εἶναι κατηγόρημα τὸ ὑπὸ τοῦ Ζήνωνος ῥηθέν. Κλεάνθης γὰρ πρῶτος διαδεξάμενος αὐτοῦ τὴν αἵρεσιν προσέθηκε 'τῇ φύσει' καὶ οὕτως ἀπέδωκε· 'τέλος ἐστὶ τὸ ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν'. Ὅπερ ὁ Χρύσιππος σαφέστερον βουλόμενος ποιῆσαι, ἐξήνεγκε τὸν τρόπον τοῦτον· 'ζῆν κατ' ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων'. Διογένης δέ· 'εὐλογιστεῖν ἐν τῇ τῶν κατὰ φύσιν ἐκλογῇ καὶ ἀπεκλογῇ'. Ἀρχέδημος δέ· πάντα τὰ καθήκοντα ἐπιτελοῦντας ζῆν'. Ἀντίπατρος δέ· 'ζῆν ἐκλεγομένους μὲν τὰ κατὰ φύσιν, ἀπεκλεγομένους δὲ τὰ παρὰ φύσιν διηνεκῶς'. Πολλάκις δὲ καὶ οὕτως ἀπεδίδου· 'πᾶν τὸ καθ' αὑτὸν ποιεῖν διηνεκῶς καὶ

μηδὲν ὑπὸ τοῦ σώματος ἢ ὠφελεῖσθαι ἢ βλάπτεσθαι· οὔτε γὰρ εἰς ἀρετὴν αὐτὴν ἡ ὑγεία μὴ βουλομένην βιάζεται, οὔτε εἰς κακίαν παρὰ γνώμην ἡ νόσος καθέλκει. ἀδιάφορα γὰρ ταῦτα ἔλεγον εἶναι. Ἐκεῖνο δέ γε αὐτῶν κομιδῇ τολμηρόν· ἀνθρώπου γάρ [τοι] καὶ θεοῦ τὴν αὐτὴν ἔλεγον ἀρετήν.

πῶς, ἐπειδὴ ἡ φύσις καὶ εἰς φυτὰ καὶ εἰς σπαρτὰ καὶ εἰς δένδρα καὶ εἰς λίθους διατείνει. σαφῶς τοίνυν εἴρηται 'ἄνδρες κακοὶ οὐ νοοῦσι νόμον, οἱ δὲ ἀγαπῶντες νόμον προβάλλουσιν ἑαυτοῖς τεῖχος'. 'σοφία' γὰρ 'πανούργων ἐπιγνώσεται τὰς ὁδοὺς αὐτῆς, ἄνοια δὲ ἀφρόνων ἐν πλάνῃ'. Cl. Str. II p. 206,46 S.

Θαυμάζειν δὲ ἄξιον καὶ τῶν Στωικῶν οἵτινές φασι μηδὲν τὴν ψυχὴν ὑπὸ τοῦ σώματος διατίθεσθαι μήτε πρὸς κακίαν ὑπὸ τῆς νόσου μήτε πρὸς ἀρετὴν ὑπὸ τῆς ὑγιείας, ἀλλ' ἀμφότερα ταῦτα λέγουσιν ἀδιάφορα εἶναι.

---

torem, quem hic, et eum quem illi secuti sint. Nam et Clementem et Arium ab Antiocho pendere negari non potest; in memoria autem habeamus, Stobaeum ex Arii epitoma epitomen fecisse.

[1] Animadvertere nos oportet, ipsis his verbis πρὸς τούτοις ἔτι et ἐπὶ πᾶσί τε indicari, ea quae sequantur adiecta esse catalogo iam confecto, quem tradidit Stobaeus.

στωνα καταλέγοιμ' ἄν; τέλος οὗτος εἶναι τὴν ἀδιαφορίαν ἔφη, τὸ δὲ ἀδιάφορον ἁπλῶς ἀδιάφορον ἀπολείπει. ἢ τὰ Ἡρίλλου εἰς μέσον παράγοιμ' ἄν; τὸ κατ' ἐπιστήμην ζῆν τέλος εἶναι τίθησιν Ἥριλλος. τοὺς γὰρ ἐκ τῆς Ἀκαδημίας νεωτέρους ἀξιοῦσί τινες τέλος ἀποδιδόναι τὴν ἀσφαλῆ πρὸς τὰς φαντασίας ἀποχήν. ναὶ μὴν Λύκων[1] ὁ περιπατητικὸς τὴν ἀληθινὴν χαρὰν τῆς ψυχῆς τέλος ἔλεγεν εἶναι, ὡς Λεύκιππος[2] τὴν ἐπὶ τοῖς καλοῖς. Κριτόλαος δὲ ὁ καὶ αὐτὸς περιπατητικὸς τελειότητα ἔλεγεν κατὰ φύσιν εὐροοῦντος βίου, τὴν ἐκ τῶν τριῶν γενῶν συμπληρουμένην τριγενικὴν[3] τελειότητα μηνύων.

§ 130. Οὔκουν ἐπὶ τούτοις ἀρκουμένοις καταπαυστέον, φιλοτιμητέον δὲ ὡς ἔνι μάλιστα καὶ τὰ πρὸς τῶν φυσικῶν δογματιζόμενα περὶ τοῦ προκειμένου παραθέσθαι. Ἀναξαγόραν μὲν γὰρ τὸν Κλαζομένιον τὴν θεωρίαν φάναι τοῦ βίου τέλος εἶναι καὶ τὴν ἀπὸ ταύτης ἐλευθερίαν λέγουσιν,

ἀπαραβάτως πρὸς τὸ τυγχάνειν τῶν προηγουμένων κατὰ φύσιν'.

Theod. § 8 n 7. Ἀναξαγόρας δὲ ὁ Κλαζομένιος, τὴν θεωρίαν τοῦ βίου, καὶ τὴν ἀπὸ ταύτης ἐλευθερίαν· φιλοσόφῳ δὴ πρέποντα ὁρισάμενος ὅρον. Μέγιστον γὰρ ἀλη-

---

[1] Sic scribo pro Λύκος cum Zellero [II 2, 901, 1; 922].

[2] Cod. et edd. praebent Λεύκιμος. — Quid Leucippus docuerit, intellegi potest ex Max. Tyr. XVII 5, ubi atheus non esse diceris 'κἂν ἀφέλῃς αὐτοῦ (sc. τοῦ θείου) τὸ ἀγαθὸν ὡς Λεύκιππος· κἂν προσθῇς τὸ ὁμοπαθὲς ὡς Δημόκριτος κ. τ. λ.'. Si Leucippus de divino τὸ ἀγαθὸν dempserit, quid reliquerit nisi τὸ καλόν? Hoc solum videtur illius summum bonum, id est τέλος, fuisse. Atque iam intellegimus Iamblichi l. c. p. 41, ubi in brevissima epitoma Abderitarum definitiones mixtae esse videntur. Democriti enim aliae [ut εὐθυμία etc. cf. Stob. II 76 H. 52, 17 W.] multo rectius fini Leucippi oppositae essent, quam εὐσχημοσύνη, cum hac voce ipse Leucippus uti posset. Id quidem sine dubio concedendum est, Iamblichi illud 'κατὰ δὲ τοὺς ἄλλους μέρει τινὶ τοῦ καλοῦ' pertinere ad Leucippum. — Vide p. 38.

[3] Ita scripsit Bernays ad [Philon.] περὶ ἀφθ. κ. p. 55, 2 pro προγονικὴν.

Ἡράκλειτόν τε τὸν Ἐφέσιον τὴν εὐαρέστησιν.

Πυθαγόραν δὲ ὁ Ποντικὸς Ἡρακλείδης ἱστορεῖ τὴν ἐπιστήμην τῆς τελειότητος[1] τῶν ἀριθμῶν τῆς ψυχῆς εὐδαιμονίαν εἶναι παραδεδωκέναι. ἀλλὰ καὶ οἱ Ἀβδηρῖται τέλος ὑπάρχειν διδάσκουσιν, Δημόκριτος μὲν ἐν τῷ περὶ τέλους τὴν εὐθυμίαν, ἣν καὶ εὐεστὼ προσηγόρευσεν, καὶ πολλάκις ἐπιλέγει 'τέρψις γὰρ καὶ ἀτερπίη ὅρος τῶν περικειμένων'.

Arius ap. Stob. II p. 76 H. p. 52 W.: (Democritus) Τὴν δ' ⟨εὐδαιμονίαν καὶ⟩ εὐθυμίαν καὶ εὐεστὼ καὶ ἁρμονίαν, συμμετρίαν τε καὶ ἀταραξίαν καλεῖ· συνίστασθαι δ'αὐτὴν ἐκ τοῦ διορισμοῦ καὶ τῆς διακρίσεως τῶν ἡδονῶν, καὶ τοῦτ' εἶναι τὸ κάλλιστόν τε καὶ συμφορώτατον ἀνθρώποις.

θῶς ἀγαθὸν τὸ ξυνιδεῖν τῶν πραγμάτων τὴν φύσιν, καὶ τῶν ῥεόντων καταφρονῆσαι, καὶ τὴν ψυχὴν ἀδούλωτον καὶ ἐλευθέραν διατηρῆσαι.

§ 7 n 3. Καὶ Ἡράκλειτος δὲ ὁ Ἐφέσιος τὴν μὲν προσηγορίαν μετέβαλε, τὴν δὲ διάνοιαν καταλέλοιπεν· ἀντὶ γὰρ τῆς ἡδονῆς εὐαρέστησιν τέθεικεν. Ἔχει δέ τινα καὶ ἑτέραν ἔμφασιν οὗτος ὁ ὅρος. Ἀορίστως γὰρ τὴν εὐαρέστησιν τέθεικε, τὸ δὲ ταύτης ποιὸν οὐ δεδήλωκε. Διάφοροι δὲ τῶν ἀνθρώπων αἱ γνῶμαι· τοῖς μὲν γὰρ ἀρέσκει σωφροσύνη, τοῖς δὲ ἡ ταύτης ἐναντία κακία· καὶ τοῖς μὲν ἀκρασία· τοῖς δὲ ἐγκράτεια· καὶ τούτοις μὲν ἄδικος καὶ πλεονεκτικὸς βίος, ἐκείνοις δὲ δίκαιος. Τὸ τοίνυν ἑκάστῳ ἀρέσκον, ἡδύ τε καὶ ἀξιέραστον, οὗτος ὡρίσατο τέλος, ἀντὶ τῆς ἡδονῆς τὴν εὐαρέστησιν τεθεικώς.

§ 8 n 4. Ὁ δὲ πολυθρύλητος Πυθαγόρας τὴν τελευτάτην τῶν ἀριθμῶν ἐπιστήμην ἔσχατον ὑπέλαβεν ἀγαθόν.

Theod. § 6 n 2. Δημόκριτος δὲ ὁ Ἀβδηρίτης, ὁ τῶν τούτου (sc. Ἐπικούρου) δογμάτων πατὴρ, ἀντὶ τῆς ἡδονῆς τὴν εὐθυμίαν τέθεικεν· ὀνομάτων, οὐ δογμάτων ἐναλλαγὴν ποιησάμενος[2].

---

[1] An τὴν τελευτάτην?

[2] Videtur ab auctore Theodoreti Epicurus post Democritum commemoratus esse, ita ut hoc loco ad Democriti sententiam adnotarentur, quae multo aptius de Epicuro dicerentur. Cf. Diog. Laert. IX 45: τέλος δὲ εἶναι τὴν εὐθυμίαν, οὐ τὴν αὐτὴν οὖσαν τῇ ἡδονῇ, ὡς ἔνιοι παρα-

ἡδονῶν· καὶ τοῦτ' εἶναι τὸ κάλλιστόν τε καὶ συμφορώτατον ἀνθρώποις.

νων[1]. Ἑκαταῖος δὲ αὐτάρκειαν, καὶ δὴ Ἀπολλόδωρος[2] ὁ Κυζικηνὸς τὴν ψυχαγωγίαν, καθάπερ Ναυσιφάνης τὴν ἀκαταπληξίαν[3]. ταύτην γὰρ ἔφη ὑπὸ Δημοκρίτου ἀθαμβίην λέγεσθαι. ἔτι πρὸς τούτοις Διότιμος[4] τὴν παντέλειον τῶν ἀγαθῶν, ἣν εὐεστὼ προσαγορεύεσθαι, τέλος ἀπέφηνεν. πάλιν Ἀντισθένης μὲν τὴν ἀτυφίαν, οἱ δὲ Ἀννικέρειοι καλούμενοι ἐκ τῆς Κυρηναϊκῆς διαδοχῆς τοῦ μὲν ὅλου βίου τέλος οὐδὲν ὡρισμένον ἔταξαν, ἑκά-

§ 8 n 5. ὁ Ἑκαταῖος δὲ τὴν αὐτάρκειαν.

Theod. § 8 n 6. ὁ δὲ Ἀντισθένης τὴν ἀτυφίαν·

κούσαντες ἐξεδέξαντο κ. τ. λ. — εὐθυμίαν scripsi cum Sirmond. — codd. et edd. ἐπιθυμίαν.

[1] Ita scripsi pro 'οὖρος τῶν περιηκμακότων', collatis Stob. floril. III 35: Δημοκρίτου· Ὅρος γὰρ συμφορέων καὶ ἀσυμφορέων τέρψις καὶ ἀτερπίη [ed. Meineke].

[2] Hoc nomen correxi. Scribebatur Ἀπολλόδοτος. — Dubitatio non esse potest, quin ex definitione allata recte concludatur, Pythagoreum philosophum esse Apollodorum. Hunc citavit Diog. Laert. IX, 38: φησὶ δὲ καὶ Ἀπολλόδωρος ὁ Κυζικηνός, Φιλολάῳ αὐτὸν [sc. Democritum] συγγεγονέναι; et VIII 12: φησὶ δὲ Ἀπολλόδωρος ὁ λογιστικὸς κ. τ. λ.; et I 25. — Eiusdem nomen tradidit Athen. X 13 p. 418 F. [Ἀπολλόδωρος ὁ ἀριθμητικός]. — Quod inter Abderitas a Clemente enumeratur, non tantum valet, ut Democriteum eum fuisse putemus, cum et definitio et loci allati ex Diog. Laert. et Athen. Pythagoreum significent.

[3] κατάπληξιν Laurent., em. Gassendi ad Diog. Laert. X animadv. p. 1246.

[4] Hunc Diotimum Democriteae scholae inserendum esse ex ipso loco intellegimus. Idem occurrit apud Sext. Emp. adv. math. VII 140, quem Zeller III 1 p. 570[3] not. cum Stoico quodam recentione confudit. Apertissime enim apud Sextum Democriteae sectae adiunctus est. Illa enim in enumeratione philosophorum hae classes distinguuntur: 1. qui negant esse criterium 46—88. — 2. qui esse dicunt *a.* οἱ παλαιοὶ 89—140, *b.* Academici 141—189, *c.* Cyrenaici 190—201, *d.* Epicurei 203—216, *e.* Peripatetici 217—226, *f.* Stoici 227—262; atque Diotimus una cum Democrito affertur, cuius disciplina 135—140 tractatur. In tota hac libri parte duo fragmenta Antiochi nomine apposito conservata sunt § 162 et § 201. Quanta rudera insint nomine omisso, alias spero probari posse. — Ab Aetio quoque II 17, 3 [Stob. ecl. phys. p. 518 H. 206, 19 W. cf. Diels ad Doxogr. p. 346b, 16] commemoratur Diotimus Democriteus.

στης δὲ πράξεως ἴδιον ὑπάρχειν τέλος τὴν ἐκ τῆς πράξεως περιγινομένην ἡδονήν. οὗτοι οἱ Κυρηναϊκοὶ τὸν ὅρον τῆς ἡδονῆς Ἐπικούρου, τουτέστι τὴν τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσιν, ἀθετοῦσιν, νεκροῦ κατάστασιν ἀποκαλοῦντες, χαίρειν γὰρ ἡμᾶς μὴ μόνον ἐπὶ ἡδοναῖς, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ ὁμιλίαις καὶ ἐπὶ φιλοτιμίαις. ὁ δὲ Ἐπίκουρος πᾶσαν χαρὰν τῆς ψυχῆς οἴεται ἐπὶ πρωτοπαθούσῃ τῇ σαρκὶ γενέσθαι.

§ 131. Ὅ τε Μητρόδωρος ἐν τῷ περὶ τοῦ μείζονα εἶναι τὴν παρ' ἡμᾶς αἰτίαν πρὸς εὐδαιμονίαν τῆς ἐκ τῶν πραγμάτων 'ἀγαθὸν' φησὶ 'ψυχῆς τί ἄλλο ἢ τὸ σαρκὸς εὐσταθὲς κατάστημα καὶ τὸ περὶ ταύτης πιστὸν ἔλπισμα'; [1] ναὶ μὴν Πλάτων ὁ φιλόσοφος διττὸν εἶναι τὸ τέλος φησίν, τὸ μὲν μεθεκτόν τε καὶ πρῶτον ἐν αὐτοῖς ὑπάρχον τοῖς εἴδεσιν, ὃ δὴ καὶ τἀγαθὸν προσονομάζει, τὸ δὲ μετέχον ἐκείνου καὶ τὴν ἀπ' αὐτοῦ δεχόμενον ὁμοιότητα, ὃ περὶ ἀνθρώπους γίνεται

Theod. § 9 n 8. Πλάτων δὲ ὁ Ἀρίστωνος τῇ μεγαλονοίᾳ τοῦ ὅρου καὶ τοῦτον ἀπέκρυψε· τὸ γὰρ 'ὁμοιωθῆναι θεῷ κατὰ τὸ δυνατὸν' τέλος ὡρίσατο τῶν ἀγαθῶν. Ἀξιέπαινος μὲν οὖν καὶ ἡ περὶ τὴν μίμησιν τῶν θείων παραίνεσις· ἡ δὲ

Arius ap. Stob. Ecl. II 64 H. 49 W. Σωκράτης, Πλάτων ταὐτὰ τῷ Πυθαγόρᾳ, τέλος ὁμοίωσιν θεῷ. Σαφέστερον δ' αὐτὸ διήρθρωσε Πλάτων προσθεὶς τὸ 'κατὰ τὸ δυνατόν' [Theaet. p. 176 B], φρονήσει δ' ἐστὶ μόνως δυνατόν, τοῦτο δ' ἦν

Cl. Str II p. 174, 1 S. Πλάτων δὲ ὁ φιλόσοφος εὐδαιμονίας τέλος τιθέμενος ὁμοίωσιν θεῷ φησιν αὐτὴν εἶναι κατὰ τὸ δυνατόν, εἴτε καὶ συνδραμὼν πως τῷ δόγματι τοῦ νόμου — αἱ γὰρ μεγάλαι φύσεις καὶ γυμναὶ παθῶν εὐστοχοῦσί πως

[1] Eadem definitio — ex Antiochi libris petita — traditur a Cicerone, de fin. II 92: 'Ipse enim Metrodorus, paene alter Epicurus, beatum esse describit his fere verbis: cum corpus bene constitutum sit et sit exploratum ita futurum' et Tuscul. II 17. V 27. de off. III 117. — Cf. Vsener, Epic. fr. 68.

τοὺς μεταποιουμένους ἀρετῆς τε καὶ τῆς ἀληθοῦς φιλοσοφίας. διὸ καὶ Κλεάνθης ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ ἡδονῆς τὸν Σωκράτην φησὶ παρ' ἕκαστα διδάσκειν ὡς ὁ αὐτὸς δίκαιός τε καὶ εὐδαίμων ἀνὴρ καὶ τῷ πρώτῳ διελόντι τὸ δίκαιον ἀπὸ τοῦ συμφέροντος καταρᾶσθαι ὡς ἀσεβές τι πρᾶγμα δεδρακότι· ἀσεβεῖς γὰρ τῷ ὄντι οἱ τὸ συμφέρον ἀπὸ τοῦ δικαίου τοῦ κατὰ νόμον χωρίζοντες. αὐτὸς δὲ ὁ Πλάτων τὴν εὐδαιμονίαν τὸ εὖ τὸν δαίμονα ἔχειν, δαίμονα δὲ λέγεσθαι τὸ τῆς ψυχῆς ἡμῶν ἡγεμονικόν, τὴν δὲ εὐδαιμονίαν τὸ τελειότατον ἀγαθὸν καὶ πληρέστατον λέγει. ὅτε δὲ βίον ὁμολογούμενον καὶ σύμφωνον αὐτὴν ἀποκαλεῖ, καὶ ἔσθ' ὅτε τὸ κατ' ἀρετὴν τελειότατον, τοῦτο δὲ ἐν ἐπιστήμῃ τοῦ ἀγαθοῦ τίθεται καὶ ἐν ἐξομοιώσει τῇ πρὸς τὸν θεόν, ὁμοίωσιν ἀποφαινόμενος δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως εἶναι. ἦ γὰρ οὐχ οὕτως τινὲς τῶν ἡμετέρων τὸ μὲν κατ' εἰκόνα εὐθέως κατὰ τὴν γένεσιν εἰληφέναι τὸν ἄνθρωπον, τὸ καθ' ὁμοίωσιν δὲ ὕστερον κατὰ τὴν τελείωσιν μέλλειν ἀπολαμβάνειν ἐκδέχονται.

§ 132. Αὐτίκα ὁ Πλάτων τὴν ὁμοίωσιν ταύτην μετὰ ταπεινοφροσύνης ἔσεσθαι τῷ ἐναρέτῳ διδάσκων ἐκεῖνό που ἑρμηνεύει 'πᾶς ὁ ταπεινῶν ἑαυτὸν ὑψωθήσεται' [Luc. 14, 11]. λέγει οὖν ἐν τοῖς νόμοις [IV p. 715] 'ὁ μὲν δὴ θεός,

⟨τοῦ⟩ 'κατὰ τὸ δυνατόν' προσθήκη ἀξιαγαστότερον τὸν ὅρον ἀπέφηνεν. Οὐ γὰρ κατὰ πάντα δυνατὸν ὁμοιωθῆναι θεῷ. Πῶς γὰρ ἄν τις ὁρατὸς ὢν ὁμοιωθείη τῷ ἀοράτῳ· καὶ βραχὺς ὢν καὶ τόπῳ σμικρῷ περιγεγραμμένος τῷ ἀπεριγράφῳ καὶ τὴν κτίσιν συνέχοντι. καὶ αὖ πάλιν τῷ αἰωνίῳ πρόσφατος ὤν· καὶ τῷ τὰ πάντα τεκτηναμένῳ μηδὲ πηχυαῖον οὐρανὸν δημιουργῆσαι δυνάμενος; Τοιγάρτοι οὔτε τὴν φύσιν ἐκείνην, οὔτε τὴν δύναμιν, οὔτε μὴν τὴν σοφίαν μιμήσασθαι δυνατόν· τοῦ ἀγαθοῦ μέντοι καὶ δικαίου καὶ ἡμέρου καὶ φιλανθρώπου τύπους ἀμηγέπη τινὰς ἐκμάξασθαι οἷόντε. Καὶ γὰρ ὁ δεσπότης Χριστὸς ταύτην τοῖς τελειότητος ἐφιεμένοις τὴν μίμησιν προύθηκε· 'Γίνεσθε' γάρ φησιν 'οἰκτίρμονες, καθὼς καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος οἰκτίρμων ἐστίν· [Luc. 6, 36] ὅτι ἀνατέλλει τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἐπὶ πονηροὺς καὶ ἀγαθούς, καὶ βρέχει ἐπὶ δικαίους καὶ ἀδίκους' [Matth. 5, 45]. Καὶ ὁ τοῦ Πλάτωνος δὲ διδάσκαλος ὁ Σωφρονίσκου Σωκράτης οὐ τὸν πλούτῳ περιρρεόμενον καὶ ἐξ οὐρίων φερόμενον ἀλλὰ τὸν δικαιοσύνῃ κοσμούμενον εὐδαίμονα εἴωθεν καλεῖν· καὶ ἀσεβεῖς ὠνόμαζε τοὺς τὸ ξυμφέρον τοῦ δικαίου χωρίζοντας· μόνον γὰρ εἶναι ξυμφέρον τὸ δίκαιον ἔλεγεν. Οἱ δέ γε ῥήτορες τούτων ἐπαΐειν τῶν λόγων οὐκ ἤθελον· ἄλλο γὰρ

τὸ κατ' ἀρετὴν ⟨ζῆν⟩. Ἐν μὲν γὰρ θεῷ τὸ κοσμοποιὸν καὶ κοσμοδιοικητικόν· ἐν δὲ τῷ σοφῷ βίου κατάστασις καὶ ζωῆς διαγωγή· ὅπερ αἰνίξασθαι μὲν Ὅμηρον εἰπόντα [ε 193]

κατ' ἴχνια βαῖνε θεοῖο·

Πυθαγόραν δὲ παρ' αὐτὸν εἰπεῖν· Ἕπου θεῷ. δῆλον ὡς οὐχ ὁρατῷ καὶ προηγουμένῳ, νοητῷ δὲ καὶ τῆς κοσμικῆς εὐταξίας ἁρμονικῷ.

περὶ τὴν ἀλήθειαν, ὥς φησιν ὁ Πυθαγόρειος Φίλων τὰ Μωυσέως ἐξηγούμενος — εἴτε καὶ παρά τινων τότε λογίων ἀναδιδαχθεὶς ἅτε μαθήσεως ἀεὶ διψῶν.

ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος, ἀρχήν τε καὶ μέσα καὶ τελευτὴν τῶν πάντων ἔχων εὐθείαν περαίνει κατὰ φύσιν περιπορευόμενος, τῷ δὲ ἀεὶ ξυνέπεται δίκη τῶν ἀπολειπομένων τοῦ θείου νόμου τιμωρός'. ὁρᾷς ὅπως καὶ αὐτὸς εὐλάβειαν προσάγει τῷ θείῳ νόμῳ; ἐπιφέρει γοῦν 'ἧς ὁ μὲν εὐδαιμονήσειν μέλλων ἐχόμενος ξυνέπεται ταπεινὸς καὶ κεκοσμημένος'. εἶτα τούτοις τὰ ἀκόλουθα συνάψας καὶ τῷ φόβῳ νουθετήσας ἐπιφέρει· 'τίς οὖν δὴ πρᾶξις φίλη καὶ ἀκόλουθος θεῷ; μία καὶ ἕνα λόγον ἔχουσα ἀρχαῖον, ὅτι τῷ μὲν ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον ὄντι μετρίῳ φίλον ἂν εἴη, τὰ δὲ ἄμετρα οὔτε ἀλλήλοις οὔτε τοῖς ἐμμέτροις. τὸν οὖν τῷ θεῷ προσφιλῆ γενησόμενον εἰς δύναμιν ὅτι μάλιστα καὶ αὐτὸν τοιοῦτον ἀναγκαῖον γίνεσθαι. § 133. Καὶ κατὰ τοῦτον δὴ τὸν λόγον ὁ μὲν σώφρων ἡμῶν θεῷ φίλος — ὅμοιος γάρ — ὅ δε μὴ σώφρων ἀνόμοιός τε καὶ διάφορος'. τοῦτο ἀρχαῖον εἶναι φήσας τὸ δόγμα τὴν ἐκ τοῦ νόμου εἰς αὐτὸν ἥκουσαν διδασκαλίαν ᾐνίξατο, κἂν τῷ Θεαιτήτῳ τὰ κακὰ ἀμφὶ τὴν θνητὴν φύσιν καὶ τόνδε τὸν τόπον περιπολεῖν ἐξ ἀνάγκης δοὺς ἐπιφέρει 'διὸ καὶ πειρᾶσθαι χρὴ ἐνθένδε ἐκεῖσε φεύγειν ὅτι τάχιστα, φυγὴ δὲ ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν, ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι'. [p. 176]. Σπεύσιππός τε ὁ Πλάτωνος ἀδελφιδοὺς τὴν εὐδαιμονίαν φησὶν ἕξιν εἶναι τελείαν ἐν τοῖς κατὰ φύσιν ἔχουσιν, ἢ ἕξιν ἀγαθῶν, ἧς δὴ καταστάσεως ἅπαντας μὲν ἀνθρώπους ὄρεξιν ἔχειν, στοχάζεσθαι δὲ τοὺς ἀγαθοὺς τῆς ἀοχλησίας· εἶεν δ'ἂν αἱ ἀρεταὶ τῆς

τι παρὰ τὸ ξυμφέρον εἶναι τὸ δίκαιον ἔλεγον, ἀξύμφορον ταύτῃ πῃ τὸ ξυμφέρον δεικνύντες· ἄδικον γὰρ δήπουθεν τὸ τοῦ δικαίου κεχωρισμένον. τὸ δέ γε ἄδικον βλαβερόν· τὸ δὲ βλαβερὸν οὐκ ἂν εἰκότως κληθείη ξυμφέρον. Ὁ μὲν οὖν Πλάτων καὶ Σωκράτης καὶ ξύμφωνα ἐφάτην καὶ ἀξιέπαινα.

εὐδαιμονίας ἀπεργαστικαί. Ξενοκράτης τε ὁ Χαλκηδόνιος τὴν εὐδαιμονίαν ἀποδίδωσιν κτῆσιν τῆς οἰκείας ἀρετῆς καὶ τῆς ὑπηρετικῆς αὐτῇ δυνάμεως. εἶτα ὡς μὲν ἐν ᾧ γίνεται φαίνεται λέγων τὴν ψυχήν, ὡς δ' ὑφ' ὧν τὰς ἀρετάς, ὡς δ'ἐξ ὧν ὡς μερῶν τὰς καλὰς πράξεις καὶ τὰς σπουδαίας ἕξεις τε καὶ διαθέσεις καὶ κινήσεις καὶ σχέσεις, ὡς τούτων οὐκ ἄνευ τὰ σωματικὰ καὶ τὰ ἐκτός. ὁ γὰρ Ξενοκράτους γνώριμος Πολέμων φαίνεται τὴν εὐδαιμονίαν αὐτάρκειαν εἶναι βουλόμενος ἀγαθῶν πάντων ἢ τῶν πλείστων καὶ μεγίστων. δογματίζει γοῦν χωρὶς μὲν ἀρετῆς μηδέποτε ἂν εὐδαιμονίαν ὑπάρχειν, δίχα δὲ καὶ τῶν σωματικῶν καὶ τῶν ἐκτὸς τὴν ἀρετὴν αὐτάρκη πρὸς εὐδαιμονίαν εἶναι[1].

Quanta insit similitudo inter Clementem et Theodoretum, quis non videt? Neque quisquam mirabitur, quod viri docti Theodoretum permulta ex Alexandrini libris hausisse putant. Quare nobis probandum est, talem differentiam esse inter illos scriptores, ut non alter ab altero sed uterque a tertio quodam ea petisse intellegatur, quae de Graecorum philosophorum sententiis tradiderit. Atque iam comparavimus locos ex his ecclesiasticis scriptoribus, ubi de Sardanapalli mentione disseruimus [p. 12 sq]. Nemo dubitabit, si locos allatos composuerit, quin ea, quae Theodoretus tradiderit, ad Ciceronis verba multo pro-

---

[1] Polemonis ex definitione intellegimus, quo modo Antiochus Stoicam disciplinam cum Academica confundere potuerit. Nam Polemonis sententia media fere est inter vetustiores Peripateticos Academicosque, qui externis bonis plus tribuerunt, et Stoicos, qui nullius momenti ea esse putaverunt. Atque historica ratione Antiochus sententiam suam confirmavit cum Zenonem audisse Polemonem eiusque disciplinam corrigere conatum esse diceret [Cic. Acad. I 34; cf. de fin. IV §§ 3. 14. 51. 61]. Hac de causa factum est ut saepius nomen Polemonis afferatur ab iis scriptoribus, qui Antiochum secuti sunt. Commemoravi iam Ciceronem Academici illius mentionem non facere nisi libros Antiochios exscribentem.

pius accedant, quam quae Clemens de epigrammate illo commemoraverit. Claris et simplicibus verbis Cyrensis eadem affert atque Clemens arte quadam usus et similitudine. Tum pluribus et accuratius de vi conscientiae disseruit Theodoretus, quam Clemens, ut mira res esset, si ille secutus Clementem rectius servasset verba eius auctoris, quem iam Tullius exscripserat. Itaque concludendum est nisi ipsos — quod vix credibile esse videtur — tum certe auctores vel auctorem, quem secuti sunt et Clemens et Theodoretus, usum esse eodem fonte, quem adhibuit Cicero. Simile statuendum esse videtur de hoc loco, ubi catalogi rudera invenimus. Quamquam vix quicquam tribui potest ordini rerum allatarum, ea tantum consideremus, quibus Theodoretus a Clemente discrepare vel quae plura tradere videatur. Ita ea quae Clemens de externis bonis Aristotelicorum fecit verba numquam ita mutata esse possunt, ut eadem fierent atque quae tradidit Theodoretus. Ea potius, quae legit et scripsit Theodoretus, a Clemente mutata et breviter expressa sunt, qui rem exemplis illustrare studuit. — Tum de Stoicis longe alia ab utroque traduntur. De Anaxagora et Heraclito pluribus disserit Theodoretus quam Clemens; et quae de Anaxagora dicit quamquam fieri potuit ut ipse adiceret, ea tamen, quae de Heraclito exposuit, sine dubio ex aliorum scriptis petivit. Apertissima autem fit res si tres illos locos de Platonis sententia compositos consideramus. Nam ecclesiasticorum explicationes nihil aliud sunt nisi extentae sententiae, quarum quasi semina insunt in brevissima Arii epitoma, ut nemo dubitare possit, quin eiusdem auctoris, quem excerpsit Arius, rudera inveniantur et apud Clementem et apud Theodoretum. Neque hic aeque ac vidimus in Sardanapallo negari potest propius accedere ad Arium quam Clemens, qui liberius fontibus uti solebat. Cyrensis enim laudat Platonem, qui ad definitionem summi boni adiecerit κατὰ τὸ δυνατὸν, atque similis laudis vestigia insunt in brevi illa epitoma, cum haec definitio ut rectior et magis perspicua adiciatur. Tum verba illa ‘πῶς γὰρ ἄν τις ὁρατὸς ὢν usque ad τὴν κτίσιν συνέχοντι’ ex eodem fonte profluxisse nemo negabit, ex quo Arius illud ‘δῆλον ὡς οὐχ ὁρατῷ . . . καὶ τῆς κοσμικῆς εὐταξίας ἁρμονικῷ’ excerpserit. Quibus rebus satis demonstratur Theodoretus uberiorem quandam explicationem sequi, cuius vestigia et in Arii et in Clementis libris inveniuntur. Cum Clemente autem

Theodoretus in aliis rebus ad verbum fere congruit [cf. ἀσεβεῖς εἶναι τοὺς τὸ συμφέρον τοῦ δικαίου χωρίζοντας et alia]. Quis fuerit ille auctor, cuius ipsius libros scriptores ecclesiastici inspexerint, nescio; id contendo sententias illas de Platone compositas esse ab eodem auctore quem Arius excerpsit, ab Antiocho.

Nunc de ipsis rebus! Multos videmus philosophos esse enumeratos sine omni fere ordine. Neque equidem intellexi num quod Clemens ipse in hac enumeratione consilium sequatur. Id intellexi, ordinem quemdam, qui fuerit in catalogo, perturbatum esse. Singuli enim philosophi inter se coniungi possunt itaque singulae partes discernuntur. § 127 igitur ii philosophi adferuntur, qui ab Antiocho primae et secundae illius tabulae parti inseri solebant. Sunt hi: Epicurus, Cyrenaici, Dinomachus, Callipho, qui voluptatem, Hieronymus, Diodorus, qui quietem ad definiendum summum bonum adhibebant. § 128 aliud caput incipitur. Quaestio enim fit, quid sit τὸ πρῶτον οἰκεῖον, qua de re Epicuri, Cyrenaicorum, Calliphonteorum sententiae afferuntur. Tum Aristotelicorum id est veteriorum Peripateticorum definitio summi boni explicatur. Sequitur schola Stoica, in qua una ordo successorum servatus est. Deinceps Aristo, Erillus, Sceptici, Academici recensentur; tum Peripatetici Lycon, quocum Leucippus comparatur, et Critolaus; hi sunt recentiores Peripatetici, cum antiquiores antea nomine Aristotelis comprehensi sint. Duo genera Peripateticorum distinguuntur et a Cicerone de fin. V § 12—14, ubi minutus catalogus illius scholae adfertur [cf. Zumpt, Ueber den Bestand der phil. Schulen etc. Abhdlg. d. Berl. Acad. 1842 p. 91]. Dubitatio ergo fit, utrum Clemens Leucippi nomen inseruerit, quod fieri potuit, cum sciamus ordinem ab Alexandrino esse perturbatum, an recentioris alicuius Peripatetici nomen in illis litteris lateat. Qua de re diiudicare non audeo; si Peripateticum mavis, fortasse scribas Λυκίσκος, quo de philosopho praeter nomen nihil nobis traditum est [cf. Zumpt l. c.]. — § 130 rudera afferuntur catalogi physicorum veterum. Ordo perturbatus est, nam Apollodorus, qui Pythagoreus esse videtur, inter Democriteos positus est. Diotimum, ultimum Democriteum, sequuntur Antisthenes et Annicerii, quibus adiungitur Metrodorus. Tum denique affertur Plato et Academici usque ad Polemonem. Has singulas totius catalogi partes clare perspicere possumus. Qualis autem fuerit earum ordo, frustra

ex Clementis et ex Theodoreti libris expedire studui, quamquam historicam quandam rationem inesse intellexi. Nam post illam tabulam apertissime singulae scholae distinguuntur atque Annicerii et Metrodorus Aristippi et Epicuri scholas significant, quos ipsos Clemens hoc loco praetermisit, cum in tabula praeposita nominati sint. — Ex hac historica componendi ratione concludendum est minime integrum esse catalogum, quod idem ex inaequalitate totius compositionis intellegitur, cum numeri philosophorum singulis sectis insertorum tam varii sint. — Quibus ex libris Clemens hos philosophos petiverit, non ita exploravi, ut auctorem nominare audeam. Id quidem constat, nisi alia, tabulam quidem et locum de Platone illum ex Antiochi scriptis hausta esse; Stoicorum ordo a recentioribus scriptoribus ita auctus est ut vetustiorem fontem, quo usque pertinuisset, ingenue profiterentur. Tum veterum quoque philosophorum sententiae quin ex Antiochi libris excerptae sint non dubito. Collatis enim Clementis et Ciceronis catalogis apparet, nonnullos philosophos ab utroque nominatos esse, in reliquis alterum alteri ita aptari posse, ut uterque reliquias maioris cuiusdam catalogi continere videatur. Cicero praeter tabulae philosophos Democritum, Eleaticos, Megaricos, Eretriacos, Scepticos, Antisthenem (de orat. III 62) enumerat, quibus a Clemente Anaxagoras, Heraclitus, Pythagoras adiciuntur, cum Eleatici, Megarici. Eretriaci praetermissi sint. Scilicet ut ceteri ita etiam ei philosophi, quos Clemens enumerat, Cicero praetermisit, exceptis nimirum Stoicis recentioribus, ab Antiocho tractati esse non negabuntur.

Nunc videamus a quibus aliis de philosophia scriptoribus eadem illa divisio adhibita sit. Atque primum quidem tres summi boni classes afferuntur ab *Ario Didymo* apud Stob. Ecl. II 60 H. 47 W., cum de hypotelide quaeratur, quem ad locum iam a Wachsmuthio indicatus est consensus Ciceronis de fin. V 18 et 20. '[ὑποτελὶς] κεῖται δ'ἔν τινι τῶν τριῶν · ἢ γὰρ ἐν ἡδονῇ ἢ ἐν ἀοχλησίᾳ ἢ ἐν τοῖς πρώτοις κατὰ φύσιν.' In brevissima autem hac epitoma nomina praetermissa sunt[1].

---

[1] Quin Didymus haec ex scriptis Antiochi petiverit, nulla dubitatio esse potest. Liceat, cum videam ab Hirzelio II p. 705. 709. 711. 835 n 2 hanc quaestionem tangi, paucis quae de Didymi epitoma sententia mihi sit explicare. — Cum in permultis locis Didymeae epitomae iudicium quoddam inesse intellegamus, quo philosophorum sententiae ita tractantur, ut

Idem Stobaeus servavit *Iamblichi* περὶ ψυχῆς fragmentum, in quo tabulam agnoscimus. Ecl. I p. 916 H.: 'περὶ τῆς κοινωνίας τῆς πρὸς τοὺς θεοὺς τῶν ψυχῶν γέγονέ τις διαμφισβήτησις, τῶν μὲν λεγόντων ἀδύνατον μίγνυσθαι θεοὺς ταῖς κατεχομέναις ψυχαῖς ἐν τῷ σώματι, τῶν δὲ διατεινομένων μίαν εἶναι κοινὴν πολιτείαν τῶν καθαρῶν ψυχῶν πρὸς τοὺς θεούς, καὶ εἰ ὅτι μάλιστα ἐν τοῖς σώμασι διατρίβουσιν· οἱ δὲ οὐδὲν τούτων συγχωροῦσιν, ὡς δὲ μέρος τὴν ψυχήν φασιν εἶναι ἐν ὅλῳ τῷ ζῴῳ, οἱ δὲ ὡς τέχνην ἐμπεφυκέναι τοῖς ὀργάνοις, ὥσπερ εἰ ἦν ἔμψυχος οἴαξ, οἱ δὲ μόνοις δαίμοσιν ἢ καὶ ἥρωσιν

---

ad unum et idem spectare videantur, et ipsius Platonis ut πολυφώνου non πολυδόξου [p. 82 H. p. 55, 6 W.] definitiones ad unam redigantur [e. g. cf. p. 80 H. 54, 10 W.: Platonis ex legibus sententia de bonis citatur, quacum aliae divisiones eiusdem Platonis comparantur et adicitur, si quis aliorum philosophorum sibi partem arripuerit: 'δεύτερον δὲ τὸ ἐκ φρονήσεως καὶ ἡδονῆς σύνθετον, ὅπερ ἐνίοις δοκεῖ κατ' αὐτὸν εἶναι τέλος τῆς ἀνθρωπίνου ζωῆς' qua cum ratione cf. Tuscul. V 34, ubi Platonis loci citantur, quibus Zeno Stoicus nihil novi dixisse probetur] et haec ratio nescio cui magis consentanea sit quam Antiocho, omnes tales locos ex illius scriptis esse excerptos persuasum habeo. Antiochus autem, ut probaret sententiam suam, Platonem, Academicos, Peripateticos eadem docuisse, Stoicos nomina mutasse, sine dubio libros scripsit, in quibus eo consilio philosophorum disciplinas exposuit. Quam ad rem permulta ex aliorum libris ab Antiocho ad verbum descripta esse, cum verisimile sit, nulla re impedimur ne Arium ex illius libris etiam eos locos hausisse putemus, in quibus nos Antiochiam rationem cognoscere non possumus. Huic meae sententiae minime obstat, quo Hirzel offensus est, quod interdum sententiae inter se discrepantes vel iteratae esse videntur. — Confirmatur ea talibus locis, quibus capite maiore confecto conclusio fit ut p. 138 H. 78,1 W.: Δῆλον οὖν ἐκ τούτων, ὅτι ἰσοδυναμεῖ 'τὸ κατὰ φύσιν ζῆν' καὶ 'τὸ καλῶς ζῆν' καὶ 'τὸ εὖ ζῆν' καὶ πάλιν 'τὸ καλὸν κἀγαθόν' καὶ 'ἡ ἀρετὴ καὶ τὸ μέτοχον ἀρετῆς'. καὶ ὅτι πᾶν ἀγαθὸν καλόν, ὁμοίως δὲ καὶ πᾶν αἰσχρὸν κακόν· δι' ὃ καὶ τὸ Στωικὸν τέλος ἴσον δύνασθαι τῷ κατ' ἀρετὴν βίῳ. Ad eundem Antiochum referendum mihi videtur illud πολύφωνον εἶναι Πλάτωνα, οὐ πολύδοξον, [cf. Stob. II 68 H. 49, 25 W. et 82 H. 55, 5 W.] et alia, de quibus cf. Hirzel II 837 n. — Nam ita dictum esse ab eo oportebat, qui Platonem docuit reliquisse 'perfectissimam disciplinam, Peripateticos et Academicos, nominibus differentes, re congruentes' [Cic. Acad. II 15], quocum conferas Acad. I 17: 'Platonis autem auctoritate, qui *varius* et *multiplex* et *copiosus* fuit, *una* et *consentiens* duobus vocabulis philosophiae forma instituta est, Academicorum et Peripateticorum'. — Vide Gellii l. c. p. 49.

ὑποτιθέασιν αὐτὴν εἰς κοινὴν συνουσίαν. ἄλλοι μὲν οἱ βελτίονες κρινόμενοι κατὰ Πλάτωνα καθάρσει καὶ ἀναγωγῇ καὶ τελειώσει τῆς ψυχῆς· ἄλλοι δὲ οἱ χείρονες τοῖς ἐναντίως τούτων ἀντιδιαστελλόμενοι· κατὰ δὲ τοὺς στωικοὺς τῇ κοινωνίᾳ καὶ τῷ καλῷ τῷ τῆς φύσεως ἐξηρτημένῳ· κατὰ δὲ τοὺς περιπατητικοὺς τῇ κατὰ φύσιν τε συμμετρίᾳ καὶ τῇ ὑπὲρ τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν νοερᾷ ζωῇ προτιμωμένῃ[1]. κατὰ δὲ Ἥριλλον ἐπιστήμῃ· κατὰ δὲ Ἀρίστωνα ἀδιαφορίᾳ· κατὰ δὲ Δημόκριτον εὐσχημοσύνῃ· κατὰ δὲ τοὺς ἄλλους μέρει τινὶ τοῦ καλοῦ· ἢ τῇ ἀοχλησίᾳ καθ' Ἱερώνυμον ἢ ἄλλοις τισὶ τρόποις διαγωγῆς τὸ αἱρετὸν ἔχοντες, ἀφ' ὧν οἱ κατὰ μέρος φύονται βίοι ἄπειροι περὶ τὴν γένεσιν διαιρούμενοι, περὶ ὧν οὐδὲν δεῖ πολυπραγμονεῖν, ἀλλ' εἰς τὸ ἄπειρον αὐτοὺς μεθιέντας χαίρειν ἐᾶν.'

Videmus divisionem illam adhibitam esse, ut demonstretur aeque ac de summo bono de communitate animi et dei sententias philosophorum varias fuisse. Schola Platonica, ut fecerat primus Antiochus, in duas partes divisa est. Scilicet Sceptici sunt peiores. — Democriti definitione offendimur. Haec aliis locis semper εὐθυμία sive εὐεστὼ appellatur. Sive scriptoris sive epitomatoris culpa res pertubatae esse videntur. Fortasse Democriti definitio mutata est cum Leucippea, de qua diximus, ubi Clementis Alexandrini locum tractavimus [cf. p. 30][2].

Lactantius novi nihil fere affert. Ea, quae ad propositum pertinent, a Romanis philosophis sumpsisse videtur. Tabula adhibita est div. inst. III 7. Nominantur: Epicurus, Aristippus, Callipho, Dinomachus, Cyrenaici, Diodorus, Hieronymus, Peripatetici, Erillus, Zeno, Stoici, Aristoteles. Tum definitiones Euclidis et Senecae commemorantur III 12: 'Merito ergo philosophorum non obscurus Euclides, qui fuit conditor Megaricorum disciplinae, dissentiens a ceteris, id esse summum bonum dixit, quod simile sit et idem semper. Intellexit profecto, quae sit natura summi boni, licet id non explicaverit quid sit: id est autem immortalitas, nec aliud omnino quidquam, quia sola nec immi-

[1] Meineke: προτιμώμενοι, quod correxi.

[2] Tabulae divisio etiam inesse videtur in ⟨Pseud.⟩ Archytae Pythagorei ἐκ τοῦ Περὶ παιδεύσεως ἠθικῆς [fragm. 8, phil. II p. 120 Mull.; Stob. Ecl. II p. 232, 2 W.].

nui nec augeri nec immutari potest. Seneca quoque imprudens incidit, ut fateretur, nullum esse aliud virtutis praemium, quam immortalitatem. Laudans enim virtutem in eo libro, quem de immatura morte conscripsit, 'una', inquit, 'res est virtus, quae nos immortalitate donare possit et pares diis facere'. Vnde Lactantius Euclidem petierit, apparet. Totus ergo locus Senecae fragmentis inserendus est. Atque Senecam et Arium Didymum[1] et Antiochum nosse, negare nemo audebit. — Aristonis definitio a Lactantio VII 7, 11 affertur: 'Ad virtutem capessendam nasci homines, Ariston disseruit', ubi de summo bono id est immortalitate quaestio fit, quam ad rem nisi fallor idem Seneca permultum adhibitus est.

Ex Romanis fontibus pleraque hausit *Augustinus* quoque, qui de civ. dei XIX 1 sq. uberiorem fecit quaestionem de finibus bonorum secutus *Marcum Varronem*. Hic enim in libro de philosophia illam divisionem eo duxit, ut ducentas octoginta et octo sectas esse posse probaret. Sed nugas docti illius Romani omittamus, ut ea consideremus, quae ad Antiochi rationem declarandam pertineant. — Ita praetermittendum non est, Varronem ad tres classes tabulae quartam adiecisse: 'quattuor esse quaedam, quae homines sine magistro . . . velut naturaliter appetunt, aut voluptatem, qua delectabiliter movetur corporis sensus, aut quietem, qua fit ut nullam molestiam corporis quisque patiatur, aut utramque, quam tamen uno nomine voluptatis Epicurus appellat[2], aut universaliter prima naturae, etc.' Huic classi, quae voluptatem cum quiete [recte vertit ἀοχλησίαν!] coniungeret, tribuit Epicurum, quem Antiochus inconstanter labi inter voluptatem et quietem dixerat [cf. Cic. de fin II 35 sq. et I 37 sq.], ipse tamen inter philosophos primae classis enumerare solebat [vide p. 5]. — Tum veterum Academicorum definitionem memoria teneamus: 'quos a Platone institutos usque ad Polemonem, qui ab illo quartus eius scholam tenuit, quae Academia dicta est, habuisse certa dogmata vult videri et ob hoc distinguit ab Academicis novis, quibus incerta sunt omnia, quod philosophiae genus ab Arcesila coepit successore Polemonis.' Cap. III deinceps veterum disciplina, quam tradiderit Varro auc-

---

[1] Cf. ad Marciam de consol. 4, 2. 6, 1.
[2] Cf. Senecae epist 66, 45.

tore Antiocho, explicatur[1]. Cap. IV Christianorum doctrina, cum Graecis mixta, opponitur philosophiae antiquae[2]. Initio capitis huius tabula breviter attingitur. — *Varronem* et in saturis tabulam illam adhibuisse intellegimus ex fragmentis 402: 'porro inde ab uno quoque compito ternae viae oriuntur, e quibus singulae exitum ac τέλος habent proprium . a primo compito dextimam viam muniit Epicurus;' 483: 'unam viam Zenona munisse duce virtute, hanc esse nobilem . alteram Carneadem desubulasse bona corporis secutum;' 484: 'alteram viam deformasse Carneadem virtutis e cupis acris aceti' ed. Buechel., in quibus singulae sectae cum viis comparantur.

Eiusdem operis *Augustini* ad rem pertinent etiam X, 18 et XVIII 41, ubi de dissensione philosophorum dicitur. Qua de re pluribus disseruit in Epist. ad Diosc. 118 [tom. II p. 328 ed. Benedict.]. — Tum de trinit. XIII 8 [t. VIII p. 932 B], contra Julian. Pelag. IV 46 [t. X p. 621 F. B] V 50 [p. 690] quaestionem de summo bono ita tractat Augustinus, ut cognoscamus, catalogum philosophorum[3] ei notum fuisse — contr. Jul. Pelag. IV 46: 'Hoc enim tibi potissimum congruebat, qui honestate quidem mentis inferius, tamen bonum hominis esse censes corporis voluptatem. Sed quis non quid prospexeris cernat? Ne scilicet in ipsa de voluptate quaestione unde tecum agimus, honestiores philosophi te obruent, quos Cicero propter ipsam honestatem tanquam consulares philosophos nuncupavit'[4]; et cum consularis cuiusdam philosophi definitionem probasset, contra eundem scripsit Augustinus V 50: 'placet tibi secta Dinomachi, honestatem voluptatemque coniungens, quod philosophi quoque huius mundi, qui honestiores videbantur, Scyllaeum bonum esse dixerunt, ex humana scilicet natura belluinaque compactum.' Cum hoc Scyllaeo bono si confers Cic. de off. III 119: 'Quo magis reprehen-

---

[1] Conferenda est distinctio vitae beatae, beatioris, beatissimae cum eis, quae Cic. de fin. V extr. exposuit [cf. § 81 et 83: 'utinam quidem dicerent alium alio beatiorem' et § 95], ut intellegas, quomodo Cicero Graecis libris usus sit.

[2] Virtutum divisio, quae inest in hoc capite, comparanda est cum eis, quae Hirzel II p. 493 sq. explicavit.

[3] Cf. Aug. de haer. ad Quoddeusvult. VIII p. 3 ed. B. — Cf. Diels, Dox. p. 184.

[4] Cf. Tusc. I § 55. de deor. nat. I § 94.

dendos Calliphontem et Dinomachum iudico, qui se drempturos controversiam putaverunt si cum honestate voluptatem tamquam cum homine pecudem copulavissent', num dubitabis, quin Ciceronis auctor cum re etiam nomen invenerit? Atque eiusdem Graeci auctoris, dico Antiochi, vestigia inesse videmus in *Senecae* epist. 92, 5 sq.: 'Antipater quoque inter magnos sectae huius auctores aliquid se tribuere dicit externis, sed exiguum admodum. vides autem quale sit, die [Buecheler, sole Haase] te non esse contentum nisi aliquis igniculus adluxerit? quod potest in hac claritate solis habere scintilla momentum? [Eadem fere similitudine uti solebat Antiochus cf. Cic. de fin. III 45. IV 29—31. V 71 et 90]. Si non es sola honestate contentus, necesse est aut quietem adici velis, quam ἀοχλησίαν vocant Graeci, aut voluptatem: horum alterum utcumque recipi potest: vacat enim animus molestia liber ad inspectum universi, nihilque illum avocat a contemplatione naturae. alterum illud, voluptas, bonum pecoris est..... fecerunt animalis generosissimi summum bonum demissum et ignobile, praeterea mixtum portentosumque, et ex diversis ac male congruentibus membris. nam ut ait Vergilius noster in Scylla etc.' Totum fere locum exscripsi, ut rationem scribendi Senecae paucis illustrem. Nam ut ipse saepius confessus est, semper fere ea quae ab auctoribus scripta invenit corrigere conatus est et mutavit. Ita hoc loco — quod iam adnotavit Hirzel II p. 249, 1 — Antipatrum Antiocho opposuit. Tum animadvertendum est, quomodo eadem similitudine usus sit atque Antiochus. Hic enim dixerat externa illa bona tam parva et exigua esse, ut quem ad modum lucerna in radiis solis, sic ista in virtutum splendore ne cernantur quidem. Seneca interrogationis forma usus rem verbis auxit. Tum ubi Dinomachi bonum Scyllaeum appellatum esse vidit, illustrius rem declaravit et Vergili versus addidit. Toti denique explicationi subecit (§ 10) locum ex libris Posidonii. Vndique igitur sententias arreptas esse videmus.

Errare autem contendo, qui ut Corssen [de Posidonio Rhodio, diss. Bonn. 1878 p. 27] ex hac § 10 subiecta et § 3 praeposita Posidonii sententia concludendum esse putet, reliquas etiam epistulae partes ex illius libris sumptas esse. Nam Seneca ipse eo, quod Posidonii nomen affert, indicat se illius sententiam eis adicere, quae ex aliis scriptis petiverit. Eius philosophi

nomen, cuius libros praeter ceteros adhibuit et exscripsit, nunquam tradidit. Quo modo autem singula collegerit et composuerit, etiam si unius Antiochi libros sequi videatur, intellegi potest ex dial. VII, de beata vita. — 3 'quaeramus aliquid non in speciem bonum, sed solidum et aequale et a secretione parte formosius . hoc eruamus, nec longe positum est . invenietur . scire tantum opus est quo manum porrigas: nunc velut in tenebris vicina transimus offensantes ea ipsa quae desideramus. Sed ne te per circumitus traham, aliorum quidem opiniones praeteribo [id est catalogum vel tabulam praeterit!]. nam et enumerare illas longum est et coarguere: nostram accipe . nostram autem cum dico, non adligam me ad unum aliquem ex Stoicis proceribus . est et mihi censendi ius . itaque aliquem sequar, aliquem iubebo sententiam dividere . fortasse et post omnes citatus nihil inprobabo ex iis, quae priores decreverint, et dicam: hoc amplius censeo.' Deinceps more Antiochio Stoicorum disciplina cum Peripatetica mixta est. Videmus illam bonorum divisionem in animi, corporis, externa. Tum 4,1 dantur definitiones summi boni, nam: 'potest aliter quoque definiri bonum nostrum, id est eadem sententia non iisdem comprehendi verbis', scilicet cum Antiochus verba tantum a Stoicis mutata esse docuerit! 6, 1 deridetur Epicureorum illa voluptas praesens, futura, praeterita et 6,3 quaestio fit de voluptate cum honestate coniuncta. — 8, 1: 'ideoque praeceperunt veteres [ἀρχαῖοι!] optimam sequi vitam, non iucundissimam, ut rectae ac bonae voluntatis non dux, sed comes sit voluptas.' 9 sq. refutantur qui virtutem cum voluptate coniungunt [cf. 12, 3 'desinant ergo inconvenientia iungere et virtuti voluptatem inplicare']. 13 Epicuri simplex voluptas reicitur; 15, 5 illud praeceptum datur, quod praeter Platonem Pythagoras dixisse fertur: 'deum sequere' [ἕπου θεῷ cf. Arium Did. ap. Stob. Ecl. II p. 66 H. 49 W.].

Epist. 124 Seneca § 7 distinguit bonum et initium boni et hoc eodem modo, quo Arius ap. Stob. II. 60 H. 47, 12 W. τὴν ὑποτελίδα intellexit. Atque § 20 sq. Seneca tradidit eam summi boni definitionem, quae in Cic. de leg. I principium totius expositionis est. Nam ut Seneca hominem coniungit cum deo perfecta ratione, ita definitio legis ex hac communitate apud Ciceronem derivatur.

Quantum epistula 88 ad Antiochum pertineat, cum pluribus

explicandum sit, nunc praetereo. Id tantum liceat dicere me non concedere Hirzelio II 525 n. 1 qui Posidonium auctorem esse putat, sed in hac et in ep. 89 dispositionem illius operis agnoscere, cuius rudera Cicero Acad. II 114 sq. tradidit, cuiusque auctori Academicus Eudorus [Stob. Ecl. II p. 46 H. 42, 7 W.] astipulatus est [v. supra p. 22. — cf. Zeller III 1 p. 613^3 n. 1]. — Seneca denique ep. 87, 19 partem tabulae perstringere mihi videtur: 'Itaque indolentiam nunquam bonum dicam: habet illam cicada, habet pulex . ne quietem quidem et molestia vacare bonum dicam: quid est otiosius verme?' [1]

[1] Haec similitudo vermis saepius occurrit atque adhiberi videtur aeque ac Sardanapalli exemplum cum Epicurea disciplina impugnetur [vide p. 11 sq.]. Ita legimus apud Max. Tyr. XXI 8 'τὸν δὲ ξύμπαντα βίον εἶναι μηδὲν σκωλήκων διαφέροντα, δειλὸν καὶ ἀργὸν καὶ ἐπτηχότα; Σαρδαναπάλλου μοι βίον λέγεις, Ἐπικούρου μοι βίον λέγεις' et Epictetus Diatr. II 20, 10 acclamat Epicuro: 'εἰ γὰρ οὕτω ταῦτα ἔχει, βαλὼν κάθευδε, καὶ τὰ τοῦ σκώληκος ποίει, ὧν ἄξιον ἔκρινες σεαυτόν· ἔσθιε καὶ πῖνε καὶ συνουσίαζε καὶ ἀφόδευε καὶ ῥέγκε'. Ipse Seneca eadem similitudine usus est de benef. III 31, 4 ['cogita te mihi imputarum muscarum ac vermium bonum'] et epist. 76, 9 [bestiae et vermes]. [Atque ipsorum Epicureorum doctrina ad hanc similitudinem adhibendam inimici eorum incitati esse videntur; cf. Lactant. VII 7: 'Erravit ergo Democritus, qui vermiculorum modo putavit homines effusos esse de terra nullo auctore, nullaque ratione' et Lucret. II 871. III 717]. — Similitudo pecudis persaepe adhibita est, ubi contra voluptarios pugnatur cf. Cic. Acad. II 139 de fin. II 18 et 109. Lael. 20 et 32 de off. I 105 III 119; Paradox. I 3, 14 etc., ut scriptores ecclesiasticos praeteream. In primis autem cum suibus Epicurei comparari solebant. Ita Antiochus apud Cic. de fin. V 38 acerbissime deridet Epicureos: 'Etenim omnium rerum, quas et creat natura et tuetur, quae aut sine animo sunt aut non multo secus, eorum summum bonum in corpore est, ut non inscite illud dictum videatur in sue, animum illi pecudi datum pro sale, ne putisceret'. Idem dictum traditur a Cic. de deor. nat. II 160, Clem. Alex. Str. VII 6, 33, Plut. Symp. V 10, 3. Praeterea conferendi sunt Augustin. Enarr. in Psalm. LXXIII [IV p. 781 E]: [Epicurus] 'quem ipsi etiam philosophi porcum nominaverunt . . . volutantem se in coeno carnali' et id. epist. 118 ad Diosc. [II p. 334 F]. Qua de causa legendum esse censeo August. c. Acd. III 18, 41: 'nam Epicureorum greges in animis deliciosorum populorum aprina [pro aprica] stabula posuerunt' quo cum loco conferas quaeso Cic. in Pisonem § 37: 'Confer nunc, Epicure noster, ex hara producte, non ex schola, confer si audes, absentiam tuam cum mea'. Tum cf. Lact. II 3, 22 III 8, 9 [sus ille lutulentus] VII 6, 2. Theodoret. l. c. p. 12. Sext. Empir. adv. math. IX 97 [τὰ ἀτιμότατα ζῷα]. Plut. Mor. p. 1091 C. [V 1, 338 Ox.], 1094 A

In *Sexti Empirici* libris brevissime divisio illa perstringi videtur Pyrrh. Hyp. Γ 175 [οἱ μὲν ἀρετὴν λέγοντες, οἱ δὲ ἡδονήν,

[V 1, 396] 1096 D [V 1, 404] ['κατασυβωτεῖν']. Method. ad Matth. VII 6 ap. Phot. cod. 235. — Quoniam hanc quaestionem tetigi, etiam dicendum est de dormientibus. Augustinus enim nonnullis locis Scepticos dormientes appellat, ita sui temporis Scepticos perstringit epist. I 1 [II p. 1] 'Tanta porro nunc fuga laboris et incuria bonarum artium, ut simulatque sonuerit, acutissimis philosophis esse visum, nihil posse comprehendi, dimittant mentes et in aeternum abducant. Non enim audent vivaciores se illis credere, ut sibi appareat, quod tanto studio, ingenio, otio, tam denique multa multiplicique doctrina inveniri non potuit. Si vero etiam aliquantum obnitentes adversus pigritiam legerint eosdem libros, quibus quasi ostenditur naturae humanae denegata perceptio, tanto [toto?] corpore indormiscunt, ut nec caelesti tuba evigilent'. Tum ipsos Academicos dormire dicit contra litt. Petiliani III 26 [IX p. 309 F] 'Postremo si duo vel tria verba ista ‚Quid si' et ‚fortasse' usque adeo sunt intolerabilia, ut propter illa excitarentur olim dormientes Academici, et Carneades et Pilus Furius [sic scribo pro Pilus et Furius coll. Lact. V 12 et Cic. de rep. III 8] et Diagoras etc.'; et c. Acd. II 5, 12: "Vnde dormientem semper et officiorum omnium desertorem sapientem suum Academici describere videbantur, quem nihil approbare censebant'; et III 10, 22 'Hic evigilavit Carneades: nam nemo istorum minus alte quam ille dormivit, et circumspexit rerum evidentiam... [ipse secum loquitur] aut de te Chrysippus triumphavit?' Ad rem pertinet illud 'vel genere humano stertente' c. Acd. III 11, 25 et cf. 12, 28 etc.

Vnde sumpsit Augustinus dormientes hos Academicos? Illisne ex Ciceronis Academicis, quae perierunt? — Similiter Lact. III 30: 'an exspectabimus donec ... Arcesilas et Carneades videant, sentiant, percipiant'. Acerbissimus autem est locus Epictet. Diatr. I 5: vexatur Academicus § 6: 'Καταλαμβάνεις ὅτι ἐγρήγορας; Οὔ, φησίν. οὐδὲ γάρ, ὅταν ἐν τοῖς ὕπνοις φαντάζωμαι ὅτι ἐγρήγορα. οὐδὲν οὖν διαφέρει αὕτη ἡ φαντασία ἐκείνης; οὐδέν. ἔτι τούτῳ διαλέγωμαι; καὶ ποῖον αὐτῷ πῦρ, ἢ ποῖον αὐτῷ σίδηρον προσάγω, ἵν' αἴσθηται ὅτι νενέκρωται; αἰσθανόμενος οὐ προσποιεῖται· ἔτι χείρων ἐστὶ τοῦ νεκροῦ. κ. τ. λ.'. Has cavillationes ex ipsorum Scepticorum disciplina ortas esse, intellegitur ex Lact. III 6, 10 '[Arcesilas] introduxit genus philosophiae ἀσύστατον, quod Latine instabile, sive inconstans possumus dicere. ... huic simile est illud, quod in scholis proponi solet in asystati generis exemplum; somniasse quendam, ne sommis crederet. si enim crediderit, tum sequitur, ut credendum non sit: si autem non crediderit, tunc sequitur, ut credendum sit'. Vnde hic locus Lactantii, quocum cf. Cic. Acad. II § 49. 51. 88, petitus sit, facile concludi potest. Nam constat in primis Ciceronem et Senecam a Lactantio adhibitos esse. Atque in toto hoc tertio libro inest

οἱ δὲ ἀλυπίαν, οἱ δὲ ἄλλο τι] et 180, tam breviter, ut nomen Antisthenis praetermittatur, cum dictum 'μανείην μᾶλλον ἢ ἡσθείην' adferatur. Eadem fere leguntur adv. math. XI 36 et 76. — adv. math. XI 73 autem variae sententiae de voluptate enumerantur. Praeter Epicurum et Antisthenem series Stoicorum philosophorum affertur. Ex hoc loco, si in animo habemus, quo modo Sextus excerpserit, quantopere multa comminuta sint, recte concludi puto, maiorem aliquando catalogum sententiarum

---

ut ita dicam umbra quaedam illius operis, quod Cic. Acd. II 116 sq. breviter explicavit. Quamvis a Lactantio rerum ordo perturbatus sit et multa aliunde petita interposita sint, tamen eaedem tres partes philosophiae distinguuntur [cf. c. 7, 1. 13, 4], quas distinxit Antiochus ordine hoc: physicam, ethicam, logicam. — In parte ethica a Lactantio c. 7 tabula summi boni allata est. Permulta autem ex Ciceronis Academicis, quae perierunt, hausta esse a Lact. verisimillimum est. Certe nosse Ciceronem cavillationes dormientis apparet ex Acad. II 93: 'Per me vel stertas licet, inquit Carneades, non modo quiescas. Sed quid proficit? Sequitur enim, qui te ex somno excitet etc.'.

Ad eandem rem pertinere puto, quod Antiochus apud Cic. de fin. V 55 exemplo Endymionis usus est. — Tum Numenius narrat apud Euseb. Praep. Ev. XIV 8 de Carneade: 'εἴτε που ἔδει τι καὶ θαῦμα ἐχόντων λόγων, ἐξηγείρετο λάβρος οἷον ποταμὸς ῥοώδης, πάντα καταπιμπλὰς τὰ τῇδε καὶ τἀκεῖθι, καὶ εἰσέπιπτε καὶ συνέσυρε τοὺς ἀκούοντας διὰ θορύβου'. [cf. quae ib. 7 de Lacyde narrantur et Diog. Laert. IV 66]. Eadem similitudine usus est Epictetus, diatr. II 20 Academicos et Epicureos perstringens, cum iuberet Epicurum dormire et pergeret: 'τί οὖν ἦν τὸ ἐγεῖρον αὐτὸν ἐκ τῶν ὕπνων καὶ ἀναγκάζον γράφειν ἃ ἔγραψεν; κ. τ. λ.'. Seneca quoque iubet ep. 53, 8 'Expergiscamur ergo, ut errores nostros coarguere possimus. sola autem nos philosophia excitabit, sola somnum excutiet gravem: illi te totum dedica'. Praeterea cf. ep. 20, 13. 22, 6. 108, 24. — Inspicias denique Arium ap. Stob. II 284 H. 133, 11 W.: 'περὶ δὲ τοὺς κοιμωμένους οὐκ εἶναι τὴν εὐδαιμονίαν, ἢ οὐκ ἐντελεχείᾳ γε. Τὴν γὰρ ἐνέργειαν τῆς ψυχῆς περὶ τὴν ἐγρήγορσιν εἶναι, ταύτῃ δὲ προστίθεσθαι τὸ 'κατὰ φύσιν' διὰ τὸ μὴ πᾶσαν τὴν ἐγρήγορσιν τῶν σπουδαίων τελείας εἶναι χρῆσιν ἀρετῆς, ἀλλὰ τὴν κατὰ φύσιν'. Sed quid haec omnia ad Antiochum? interrogas. Scilicet iam Heraclitum hac similitudine usum esse haud nescio, id dico: Ille vir, qui primus Scepticam disciplinam ita impugnavit, ut dicere posset, omnem eam esse extinctam, ille qui rerum naturalium evidentia conisus illud nihil scire omnino sustulit, ille erat, qui dormientes Academicos expulit ex schola Platonica et saepissime uti solitus est ea similitudine, quae permansit usque ad hunc diem, cum moneamur: vigila et ora.

de voluptate fuisse. Atque eiusdem catalogi epitomen alia ratione compositam tradidit Gellius, N. A. IX 5, secutus ut ex commemoratione nominis intellegitur Taurum.

Sext. XI 73. οἷον τὴν ἡδονὴν ὁ μὲν Ἐπίκουρος ἀγαθὸν εἶναί φησιν, ὁ δὲ εἰπὼν 'μανείην μᾶλλον ἢ ἡσθείην' κακόν, οἱ δὲ ἀπὸ τῆς στοᾶς ἀδιάφορον καὶ οὐ προηγμένον, ἀλλὰ Κλεάνθης μὲν μήτε κατὰ φύσιν αὐτὴν εἶναι μήτε ἀξίαν ἔχειν αὐτὴν[1] ἐν τῷ βίῳ, καθάπερ δὲ τὸ κάλλυντρον κατὰ φύσιν μὴ εἶναι, ὁ δὲ Ἀρχέδημος κατὰ φύσιν μὲν εἶναι ὡς τὰς ἐν μασχάλῃ τρίχας οὐχὶ δὲ καὶ ἀξίαν ἔχειν, Παναίτιος δὲ τινὰ μὲν κατὰ φύσιν ὑπάρχειν, τινὰ δὲ παρὰ φύσιν.

Gell. IX 5. De voluptate veteres philosophi diversas sententias dixerunt. *Epicurus* voluptatem summum bonum esse ponit, eam tamen ita definit: 'σαρκὸς εὐσταθὲς κατάστημα'. *Antisthenes* Socraticus summum malum dicit: eius namque hoc verbum est: 'μανείην μᾶλλον ἢ ἡσθείην'. *Speusippus* vetusque omnis Academia voluptatem et dolorem duo mala esse dicunt opposita inter sese, bonum tamen esse, quod utriusque medium foret. *Zeno* censuit, voluptatem esse indifferens, id est neutrum, neque bonum neque malum, quod ipse Graeco vocabulo 'ἀδιάφορον' appellavit. *Critolaus* Peripateticus et malum voluptatem esse ait et multa alia mala parere ex sese, iniurias, desidias, obliviones, ignavias. *Plato* ante hos omnis ita varie et multiformiter de voluptate disseruit, ut cunctae istae sententiae, quas exposui, videantur ex sermonum eius fontibus profluxisse; nam proinde unaquaque utitur, ut et ipsius voluptatis natura fert, quae est multiplex, et causarum, quas tractat, rerumque quas efficere volt, ratio desiderat.

Quamquam multum inter se discrepare videntur duo hi loci, ex uno tamen fonte eos derivatos esse facile intellegemus, si scriptorum rationem memoria tenemus. Neglegentia Sexti ut in reliquis quae scripsit ita hoc loco apparet. Antisthenis nomen omissum est, veteriores Stoici comprehensi sunt, reliqui philosophi omnino praetermissi sunt. Gelliani autem auctoris consilium sine dubio id erat, ut singularum scholarum philosophum adfer-

[1] Bekker del. αὐτὴν cf. Hirzel II p. 89 et 95.

ret et demonstraret, quaecunque ab his dicerentur iam a Platone instituta esse. Coniungendos esse hos locos eo confirmatur, quod Epicurus et Antisthenes in utroque insunt et mira quaedam consensio est in definitionibus Zenonis vel veterum Stoicorum. Vi quadam non bonum [προηγμένον] sed ἀδιάφορον esse voluptas dicitur. Quod Gellius Metrodori definitionem [Cic. de fin. II 92. Tusc. II 17., V 27] Epicuro tribuit[1], mirum non est. Quam ob rem autem omnino hic catalogus compositus sit, a Gellio apertissime traditum est. Polyphonus non polydoxus Plato ita de voluptate dixerat, ut reliqui philosophi nihil novi attulisse viderentur. Quod cum sciamus ab Antiocho institutum esse, quem vidimus illo catalogo sententiarum de summo bono usum esse, qui a Cicerone traditus est, verisimillimum est hunc quoque de voluptate catalogum ad eundem Antiochum referendum esse.

Nunc redeamus ad sententias de summo bono. Neque praetermittendus est locus ap. Euseb. Pr. Ev. XI 4 p. 511 D. [comparantur Ebraici et Platonici]: 'ἐπεὶ καὶ τέλος ἀγαθῶν τοῦ τε μακαρίως ζῆν ὕστατον ὅρον τὴν εὐσέβειαν τήν τε διὰ τῆς τῶν ἠθῶν κατορθώσεως πρὸς τὸν θεὸν φιλίαν ἠγάσαντό τε καὶ μετεδίωξαν, ἀλλ' οὐ σωμάτων ἡδονὴν κατ' Ἐπίκουρον· οὐδ' αὖ τὴν τριγένειαν τῶν ἀγαθῶν κατ' Ἀριστοτέλην, τὰ περὶ σῶμα καὶ τὰ ἐκτὸς ἐν ἴσῳ τοῖς ψυχῆς ἀγαθοῖς ἐκτετιμηκότα· οὐ μὴν οὐδὲ τὴν ἐσχάτην ἄγνοιάν τε καὶ ἀμαθίαν, ἣν ὀνόματι σεμνοτέρῳ τινὲς ἐποχὴν ἀνειρήκασιν· ἀλλ' οὐδ' αὖ τῆς ψυχῆς τὴν ἀρετὴν κ.τ.λ.' Eusebium hunc locum ex *Aristoclis* libris 'περὶ φιλοσοφίας' petisse aeque ac totum caput tertium valde verisimile mihi videtur. Aristoclem autem eo consilio scripsisse, ut ab uno Platone rectam philosophiam esse institutam probaret, satis demonstrat Eusebius locis ex illius libris allatis. Videmus igitur Aristoclem non consilium solum probasse Antiochi.

Sed finem faciamus. Iam enim videre possumus, quae fuerit auctoritas Antiochi apud posteros, quae fuerit ratio philosophandi ab illo adhibita. Nam si Cicer. Acad. II evolvimus ibique § 118 etiam illum catalogum de dissensione philosophorum in principiis invenimus, quem Diels [Doxogr. p. 119 sq] Clitomacho, nos

[1] Recte tribuit, ut docuit me Vsener; ipsa enim Epicuri verba Metrodorus sua fecit.

[vide p. 8 n. 1] Antiocho tribuimus, dubitatio non fit, quin Antiochus omnium philosophorum, quorum nomina illius aetate omnino cognita erant, disciplinas comprehenderit, ut suam ipsius disciplinam, ad Pythagoram Platonemque et ad Polemonem[1] redactam, conderet. — Haec autem Antiochi disciplina quo tetenderit, non exigua dissensio mihi est cum viris doctis. Ad hunc enim diem Antiochus princeps eclecticorum philosophorum appellari solet. Sed magnam esse puto differentiam inter eum et eclecticorum revera principem, Potamonem. Hic ex singulis disciplinis quae sibi placerent elegit, Antiochus omnia comprehendens reduxit ad patrem philosophiae, Platonem. Atque ad illud — ut equidem puto non rectum — iudicium commoti esse viri docti videntur limpidissimis fontibus, ex quibus Antiochi memoria ad nos vehitur, inprimis Ciceronis libris, qui Antiochi scriptis maximam partem usus est, ut aliorum philosophorum disciplinas, non Antiochi describeret. Hac de causa cum praesertim Scepticis Academicis adstipularetur, Tullius nihil fere de ipso Platone, nihil feıe de ipso Antiocho tradidit. Platonis definitio summi boni, Antiochi definitio [nam de fin. V ea explicatur, quam veterum Peripateticorum fuisse dixerit Antiochus] a Cicerone non traduntur. — Neque idem placuisse Antiocho atque Platoni dico. *Rerum cursui consentaneum est, eum virum, qui omnes sectas complecteretur ut ad Platonem referret, etiam illos fructus comprehendisse, qui ex seminibus a Platone sparsis orti saeculis Scepticorum, Stoicorum, Epicureorum ad maturitatem pervenissent, cum praesertim horum scholas non solum impugnare, sed funditus tollere studeret.* — Ipse Antiochus fuit Scepticus, Stoicus, Academicus, inprimis autem Stoicus. Atque Stoicorum magistri, qui ante eum fuerunt, Antipater et Panaetius propius accesserant ad disciplinam Platonicam. Quam cum ab ipsis Academicis desertam esse putaret, Antiochus non solum disciplinam sed etiam eius sedem Academiam occupavit. Profectus ex Ptolemaeo [Cic. de fin. V 1], ubi docebat cum turbae Scepticorum in Academia essent, expugnatae Academiae heredem Aristum fratrem reliquit [Cic. Brut. 332]. — Non est huius loci uberiorem quaestionem facere de Antiochi disciplina. Vno tantum verbo si licet significabo, appellans Antiochum non eclec-

[1] Cf. de fin. IV 3. 14. 51. 61. — Vide p. 36 n. 1.

ticum sed principem theosophorum. Hic theosophus fuit, qui patefecit religionem cum naturae cognitione iunctam [Cic. de div. I 86 et II 149], qui desideratus est a Lactantio VII 7[1]: 'Facile est autem docere, paene universam veritatem per philosophos et sectas esse divisam. Non enim sic philosophiam nos evertimus, ut Academici solent, quibus ad omnia respondere propositum est, quod est potius calumniari et illudere: sed docemus, nullam sectam fuisse tam deviam, nec philosophorum quemquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero. Sed dum contradicendi studio insaniunt, dum sua etiam falsa defendunt, aliorum etiam vera subvertunt: non tantum elapsa illis veritas est, quam se quaerere simulabant, sed ipsi eam potissimum suo vitio perdiderunt. Quod si quis exstitisset, qui veritatem sparsam per singulos diffusamque per sectas colligeret in unum ac redigeret in corpus, is profecto non dissentiret a nobis. Sed hoc nemo facere nisi veri peritus ac sciens potest. Verum autem non nisi eius scire est, qui sit doctus a deo. Neque enim potest aliter repudiare quae falsa sunt, eligere ac probare quae vera, sed si vel casu id efficeret, certissime philospharetur. Et quamvis non posset divinis testimoniis illa defendere, tamen se ipsam veritas illustraret suo lumine.'

---

[1] Quocum cf. Baur, Das Christl. im Platonismus, Tübing. Zeitschrift für Theol. 1837, 3 p. 10.

VITA AVCTORIS

Natus sum Petrus Paulus Guilelmus Rudolfus Hoyer a. d. XVI kal. Mart. a. h. s. LX in vico ad Oldenburgum sito qui dicitur Donnerschwee. Parentes carissimos Guilelmum et Mathildam e gente Griepenkerl adhuc superstites gratissima memoria colo. Ab anno LXIX usque ad LXXIX discipulus fui gymnasii Oldenburgensis, cuius rectori humanissimo, Henrico Stein, quid debeam haud nescio. Autumno anni LXXIX Bonnam me contuli Rhenanaeque Academiae adhuc civis fui. Docuerunt me viri clarissimi Aufrecht, Bernays, Buecheler, Kekulé, Leo, Lipps, Luebbert, Vsener. Vt in philologorum seminarium regium reciperer eiusque per ter sex menses sodalis essem, egregia Buecheleri, Luebberti, Vseneri erga me benevolentia factum est. Exercitationibus suis ut interessem benigne concesserunt philologis Leo, epigraphicis Buecheler, archaeologicis Kekulé. Quibus omnibus viris gratias quam maximas ex animi sententia refero. In primis vero Buecheler et Vsener tantam in me contulerunt benignitatem, tantam benevolentiam, ut in eorum pia grataque memoria nunquam animus meus non infixus sit.

SENTENTIAE CONTROVERSAE

I

Galen. hist. phil. c. 16 (Diels, doxogr. p. 609) scribendum est: 'ἀγαθὸν δὲ πᾶσιν ἀνθρώποις τὸν θεὸν διατελεῖν Πλάτων ὑπείληφεν καὶ πάντων συλλήβδην τῶν κατὰ τὸν βίον κακῶν ἀγαθὸν οὐκ αἴτιον νενόμικεν'. codd. A καθηγητικὸν B καθηγητὴν tradunt pro κακῶν ἀγαθὸν et ἄλλον pro αἴτιον. καθηγητικὸν καλῶν coniecit Bernays.

II

Ib. c. 17 (p. 610) scribo: 'Πλάτων δὲ καὶ τὰς ἰδέας εἰσήγαγεν, αἷς ἴσα μὲν ἀπεργάσασθαι δύναται· εἰσάγουσι δὲ καὶ τὴν ἄποιον ὕλην, ὅσοι οὐκ ἂν ἴσα τὰ καθ' ἕκαστα συντελεῖσθαι διδόασιν, ἀλλὰ προνοίας ὑπ' αὐτῆς τὰ ἀποτελέσματα γίγνεσθαι'.

A: ταύτης τε ὑπ' αὐτῆς. B: ταῦτά τε ὑπ' αὐτοῦ.

III

Plut. epit. V 24 (Diels p. 436) in verbis 'ἐπὶ τῆς γῆς' inest Ἐπίκουρος.

IIII

Cic. de fin. V 96: 'Quae enim dici Latine posse non arbitrabar, ea dicta sunt a te, nec minus plane, quam dicuntur a Graecis, verbis aptis' non mutanda sunt sed explicanda.

V

Senecae epist. 88, 37 scribendum est: 'in his an Sappho pudica fuerit' pro 'publica', quae vox Augustini serm. 9, 14 non defenditur.

VI

Subditus est Aeschyli Eumen. 105 versus 'ἐν ἡμέρᾳ δὲ μοῖρ' ἀπρόσκοπος βροτῶν'.

VII

Alcibiadem Alcibiadis filium, quem tradunt Lysias or. XIV et XV, Isocrates or. XVI, Xenophon memor. I 3, 8 (cf. conviv. IV 23), Archippus apud Plut. Alc. I 4, re vera nunquam fuisse contendo.

VIII

Hermae Trismegisti περὶ τοῦ κοινοῦ p. 104 ed. Parthey scribendum est: 'καὶ ὁ νοῦς οὖν ἀγαθός ἐστιν, ⟨ὥσπερ ὁ θεὸς⟩ ἅπερ ἐστὶν αὐτοῦ ἡ ψυχή'.

VIIII

In Stobaei ecl. phys. fragmenta Arei-Antiochi insunt.

X

Seneca imbutus fuit scriptis Arei, quem ad Marc. de cons. 4, 2 et 6, 1 citavit.

XI

Senecam cum Cicerone conferentibus multa occurrent, quae Antiochia invenientur.

XII

Stoici veteriores dualismum boni et mali docuerunt. Inde ab Antipatro, cum ad Platonicam disciplinam propius accederent, malum nihil nisi negatum bonum esse putaverunt.

XIII

Argumenta operis Antiochii, a Cicerone Acad. II § 114 sq. adumbrati, compleri possunt explorata dispositione, quam secutus est Ioh. Stobaeus (Phot. cod. 167). Ad unum opus dogmaticum similis dispositionis referendi sunt libri Sexti Empirici. Tum rudera quaedam in Senecae epistulis insunt, quibus divisio Antiochia cognoscitur.

XIIII

Scriptores ecclesiastici usi sunt libris, in quibus sententiae philosophorum secundum rerum ordinem compositae erant eo

consilio, ut Platonica disciplina retractata valeret. Hi libri referendi sunt ad Antiochi opus, quod excerpsit Areus Didymus.

XV

In similitudine illa medici vel salutis a Philone Larissaeo (cf. Stob. ecl. eth. p. 40 H. p. 39 W.) et ab Antiocho (cf. Stob. ecl. eth. p. 248 H. p. 119, 3 W.: 'ἡ πρόνοια τῆς σωτηρίας', quae explicatur in Cic. de fin. V) adhibita et scriptores novi testamenti et omnes iatrosophistae Antiochiam scholam secuti sunt.

XVI

Antiochus Ascalonites docuit veritatem ipsam unius dei esse (cf. Senecae epist. 65, 95 alias).

